CENSVRA LIBRORVM HIPPOCRATEORVM

QVA

VERI A FALSIS

INTEGRI A SVPPOSITIS

SEGREGANTVR.

COLLEGIT EX OPTIMIS QVIBVSQVE AVCTORIBVS

EROTIANO, GALENO, HIER. MERCVRIALI, FOËSIO, CLERICO, IO. ALBERT. FABRICIO, HALLERO

ALIISQVE

OMNIA RECENSVIT, DIIVDICAVIT NOVVMQVE IN ORDINEM REDEGIT

D. CHRISTIAN. GODOFREDVS GRVNER.



VRATISLAVIAE 1772.

APVD IOANNEM FRIDERICVM KORNIVM SENIOREM.

SENECA

Ep. XXXIII. p. 106. et Ep. LXIV. p. 186. ed. Lipf.

Qui alium fequitur, nihil inuenit, immo nec quaerit. Quid ergo? Non ibo per priorum veftigia? Ego vero vtar via veteri, fed fi propiorem planioremque inuenero, hanc muniam. Qui ante nos ifta mouerunt non domini noftri, fed duces funt. Patet omnibus veritas, nondum eft occupata: Multum ex illa etiam futuris relictum eft. — Veneror itaque inuenta fapientum inuentoresque; Adire, tanquam multorum hereditatem, iuuat. Mihi ifta acquifita, mihi laborata funt. Sed agamus bonum patrem familiae. Faciamus ampliora, quae accepimus. Maior ifta hereditas a me ad pofteros tranfeat. Multum adhuc reftat operis multumque reftabit, nec vlli nato poft mille fecula praecludetur occafio aliquid adhuc adiiciendi.



ILLVSTRISSIMO

ATQVE

EXCELLENTISSIMO DOMINO

D O M I N O

CAROLO GEORGIO HENRICO DE HOYM

POTENTISSIMI BORVSSORVM REGIS

ADMINISTRO STATVS ET BELLI INTIMO,

ADMINISTRO REDITVVM SILESIAE REGIO

CET. CET.

DYNASTAE TERRARVM DYRNFVRTH,

ARNOLDSMÜHL

CET. CET.

DOMINO SVO LONGE

CLEMENTISSIMO

MAECENATI LITTERARVM MAXIMO

HOC

PIETATIS ET OBSERVANTIAE

MONIMENTVM

QVAM SVBMISSISSIME ATQVE DEMISSISSIME

OFFERT

CHRISTIANVS GODOFREDVS GRVNER.

ILLVSTRISSIME

DOMINE CLEMENTISSIME.

Fretus fauore illo ſingulari, DOMINE ILLVSTRISSIME, quo in omnis doctrinae ambitum literarumque cultores ferri et tantum non rapi videris, eaque compulſus animi altitudine, qua omnium vtilitati et patriae commodis conſultum eſſe cupis, non potui non hanc meam qualemcunque opellam nominis TVI inſcribere magnitudini. Intuetur enim in TE, tanquam praeclariſſimum adminiſtri ſtatus exemplum, optimus quisque, nec vllum vnquam

TVORVM gloriae debitiſſimam. Ego vero precibus ardentiſſimis fauſtoque cum omine et vitae TVAE, LECTISSIMAE CONIVGIS, SOBOLIS SVAVISSIMAE conſtantiam, et ſalutis perpetuitatem a Deo apprecor, atque omni, qua par eſt, animi obſeruantia et quam ſubmiſſiſſime TE rogatum velim, DOMINE ILLVSTRISSIME, vt TVO me patrocinio et fauore, quo nihil mihi antiquius, nihil prius, nunquam cenſeas indigniſſimum

NOMINIS TVI ILLVSTRISSIMI

Vratislauiae
XIII. Calend. Septembres.
CIↃ IↃ CCLXXI.

obſeruantiſſimus cultor
Chriſtianus Godofredus Gruner.



LECTORI BENEVOLO

S. P.

D. CHRIST. GODOFR. GRVNER.

Nullius facile graeci medici tam praeclara monimenta ſunt, in quibus legendis melius, omne tempus ſuum atque ſtudium poſſint maiorique cum commodo collocare ii, qui medicinae dant operam, quam in Hippocrateis, in primisque his, quae ad naturae exemplum adumbrata et expreſſa quaſi ſunt.

Orationis enim genus, etſi perbreue eſt multisque in locis, ſi Dis placet, obſcurum videtur, tamen ex intelligentium peritorumque iudicio tam dilucidum eſt, tam venuſtum tamque argumentis accommodatum, nihil vt ſupra. Rerum vero ipſarum ea eſt multitudo atque praeſtantia, vt ab horum librorum lectione non poſſis non doctior et ad artis πραγματείαν magis idoneus recedere.

Neque (fatebor enim) ſatis mirari poſſum, quid ſit, quod, monimentis magni huius viri neglectis atque poſthabitis, ad riuulos hinc inde deductos eosque ſane turbidos auidi decurramus, et beneficii tanti tamque eximii turpiter profecto immemores illa dona non ſpernimus modo, noſtraque cura putamus indigniſſima, verum etiam in hunc diuinum ſenem omni malorum conuiciorumque genere debacchamur. Quod ſi non eſt iniuſte agere, quid tandem ſit, iuxta cum ignariſſimis ignoro.

 Multi

Multi enim si qua his HIPPOCRATIS magni monimentis contineri intellexerint aut supposita et interpolata, aut doctrinae placitis, quibus hodie vtimur, non ex asse respondentia, omnia illico, negligentia dicam, an inscitia, proiicienda tineisque et blattis relinquenda putant. Equidem non is sum, qui falsa his libris quaedam admista esse negem, neque multa sane melius nostra hac aetate legi explicarique doctius posse concedam; Sed videant id genus homines, ne quid temere et indicta caussa agant, seque dent turpiter. Nec enim quicquid nobili HIPPOCRATIS magni nomine solet circumferri, semper diuino seni adsignandum est, cum et orationis forma et argumentorum veritas multum haud raro a se inuicem abhorreant, nec viri docti probique persona dignum est, promiscue quaeuis aut amplecti, aut contemnere, sed potius adsensum sustinendo veterum scripta, vt fas est, audire, si naturae consentiant, et recentiorum inuentis vti, si qua in re curatius pleniusque versati sint.

Quare cum tanti momenti sit intelligere, *veri an falsi, integri an suppositi et interpolati hi diuini senis libri sint*, et non possint non signa quaedam adhiberi, quibus, tanquam fundamento, inniti hoc in dilectu tuto possis, non spero solum, verum etiam confido, fore, vt nostra haec opera, quam in Hippocrateorum librorum aut integritate approbanda, aut falsitate demonstranda collocauimus, aequis ac intelligentibus harum rerum arbitris haud displiceat.

Quo in negotio etsi multi, iique longe clarissimi viri ante nos versati sint, quibus palmam dare non vereor, atque horum facile principes et sint et habeantur necesse sit *Ludouicus Lemosius* atque *Hieronymus Mercurialis*, tamen non potui non hanc nostram qualemcunque opellam in vulgus edere. Vterque enim labor nunquam ad manus venit, quicquid operae in anquirendo consumsimus et tantum non perdidimus, adeoque in malam partem

tem puto nemo interpretabitur, ſi horum virorum nomina hac in ſcriptione aut perraro occurrant, aut ex aliorum auctoritate cuncta proferantur, cui, dici vix poteſt, quam inuitus in ſtatuendo rei cuiusque pretio ſoleo fidem adhibere. Lubrica enim (crede mihi experto) haec eſt auctoritas manca et omnium longe inconſtantiſſima.

Poſt horum fata an quis alius hanc librorum Hippocrateorum auctoritatem atque pretium conſilio deditaque opera ſibi ſumſerit vendicandum, ignorare me profiteor. Id vnum ſcio, multos, eosque hoc in litterarum genere verſatiſſimos graues ob cauſſas huic rei tam arduae tantisque obſeſſae difficultatibus accingere ſe noluiſſe, ſed potius eorum more, qui in elato aliquo collocati loco inferiora dimetiuntur quidem oculis, at vero re ipſa viam conficere non audent, in *Io. Henr. Schulzii* [a]) votum iniſſe pedibus: *Vtinam doctus aliquis vir, ad examen ſeuere reuocatis omnibus, quae iam paſſim de hoc argumento dicta ſunt aut dici vlterius poſſint, planum medicinae Hippocraticae ſtudioſis faciat, ex quibus potiſſimum libris genuinam eius mentem adſequi poſſint. Quod niſi fiat, de* HIPPOCRATE *omnia incerta manebunt, nec ratio patebit, qua debeant manifeſte inter ſe pugnantia conciliari aut vera* HIPPOCRATIS *ſententia diſcerni poſſit.*

Cui voto, tantum abeſt, vt leui hac ſcriptiuncula prae ceteris reſpondiſſe mihi videar, vt etiam multa leuius, quam par erat, dicta, multa manca et imperfecta facile largiar eſſe adiuncta, partim quod naturam in tribuendis ingenii dotibus non adeo fautricem expertus ſim, partim quod in tanta veterum ſcriptorum penuria et contemtione ne licuit quidem mihi eſſe tam felici puluerulentum quorumdam, quos in votis habueram, ſitum atque ſqualorem contractum abſtergere, tineisque nec opinato dicere inducias.

Mouit ea nos res, vt, quae hac de re dudum ſenſeramus, ea, nunc et veteris illius hominis memoriam ab obli-

a) Hiſt. Medicin. Per. I. Sect. III. c. 1. §. 23. p. 218.

obliuione vendicando, et bene factorum magnitudinem denuo commemorando foras dare nobis potissimum sumeremus. In quo tamen negotio ita versatus sum, vt, *praemissis iis notis, quibus veros Hippocrateos libros a falsis internosci facile posse putem, vniuersa hac doctrina* viam meliorem mihi planioremque communirem. Sunt autem illae notae atque χαρακτῆρες, quos adhibendos duximus, *breuitas orationis, argumentorum dignitas atque conspiratio, ratiociniorum* denique *paucitas.* Plures enim adferre nec placuit, nec fas fuit, cum in perpaucos sane libros, qui praeclaro HIPPOCRATIS nomine ac gloria cupiunt delitescere, harum notarum vis atque auctoritas cadere posse videatur, adeoque, si haec omnia spectes, non miraberis sane, quid sit, quod vix ac ne vix quidem tertiam partem ab hac pernicie capitali vendicandam existimarimus.

Multae enim fuerunt caussae, quae nos prohiberent, quo minus in *Hieronymi Mercurialis*, similitudinem hos libros denuo et iterum distribueremus, et prouti aut elaborati satis, HIPPOCRATE viuo, essent atque editi, aut paene affecti aliorum industria male sedula interpolati, ita etiam varios constitueremus ordines. Illud enim, vt mihi videtur, dialecticorum repugnat placitis, neque rei naturae satis respondet, cum non, nisi vnum id locum habere possit, vt aut vere HIPPOCRATIS hi libri sint, aut non sint, nulla studii tam minute philosophandi habita ratione. Quod cum earum notarum beneficio, quas adhibendas hoc in dilectu duximus, fieri possit facillime, ecquis, tam demens atque baro est, vt in hoc *Mercurialis* lubrico semper agitari et huc illuc ferri velit?

Neque tamen quis sibi inducat in animum, temere haec et oscitanter me fouisse in sinu quasi atque incogitanter effutiisse, neglectis aliorum virorum studiis aut spretis. Multum enim sane taedii laborisque in tot tantisque veterum recentiorumque scriptorum monimentis euoluendis, perlegendis, et optimis quibusque apum more no-

strae

ſtrae huic ſcriptiunculae inſinuandis fuit nobis deuorandum. *Galeni* enim opera quam vaſta ſunt! quam operoſa! Et nihilo tamen ſecius nos nec piguit ea diurna nocturnaque manu verſare, cum tanti hac in re momenti ſit eius auctoritas, et dux quaſi atque coryphaeus ille habendus ſit, neque hoc auctoritatis ſplendore hebetati tantum ei ſemper fidei habuimus, quantum *Hieron. Mercurialis.* Sui enim ſaepe numero tam immemor *Galenus* eſt, vt in eius decretis tuto ſemperque acquieſcere haud liceat, adeoque nec veritus ſum, ſi per rei naturam fas erat, in aliam quamcunque ſententiam ingredi.

Ad hanc vero librorum Hippocrateorum aut auctoritatem confirmandam, aut vilitatem demonſtrandam vſi haud raro ſumus doctorum virorum teſtimoniis, *Thucydidis*, *Erotiani*, *Caelii Aureliani*, *Luciani, Galeni*, *Athenaei*, *Suidae*, quibus ſi inter recentiores prae ceteris adiunxeris *Hieronymum Mercurialem*, *Foëſium, Jo. Albert. Fabricium, Clericum*, *Io. Henr. Schulzium*, *Hallerum*, alios, non inique profecto feres, tot tantorumque virorum nominibus, tanquam ſtellulis, ſcriptiunculam hanc eſſe interſtinctam. Non enim (crede mihi) tam abiectae mentis ſum, vt ingenii doctrinaeque oſtentandae gratia in alienos fines vagari auſim, id quod ſane viri docti perſona videtur indigniſſimum, neque in ſeculi noſtri conſuetudinem ac leuitatem ſic effuſus atque pronus ſum, vt, aliorum, qui ante nos praeclare hoc in argumento verſati ſunt, laboribus aut ne commemorandis quidem, aut ſaltem obiter, nominis mihi gloriam velim comparatam. Illud enim vt dedecet virum grauem, ita etiam ſumma eſt iniuria.

In re enim iſta, quae hiſtorici potius perſona, quam grammatici digna eſt, omnia omnino aliorum innituntur teſtimoniis, tanquam fundamento; quae ſi temere ac imprudenter ſuſtuleris, aut negligentius praetermiſeris, dici vix poteſt, quam mancae et mutilae id genus ſcriptiones, quam vaga et lubrica earum fides ſit. Argumenti enim dignitas hinc attollitur incredibiliter, lectorique via quaſi

prae-

praemunitur facilior ad perſpiciendum, cum quid docti ante nos homines hoc de argumento ſenſerint, tum qua de cauſſa haud raro ab eorum partibus ſtare recuſarimus. Quae ſi vera ſunt, et quis eſt, qui negare audeat? eane, amabo, digni ſumus reprehenſione, quae nobis nuper fuit has ob ineptias ſubeunda? Minime gentium, ſed audiamus potius hac de re friuola, ſi Dis placet, magnique viri perſona haud digna *Galeni* b) ſententiam: Αὕτη καὶ δικαία τε ἐστιν ἅμα καὶ πρέπουσα τοῖς ὁτιοῦν ἀγαθὸν ἐξευροῦσι τιμὴ, μήτε κατακεκρύφθαι τὰ εὑρέματα αὐτῶν, μήτ' ἀγνοεῖσθαι τοῖς ἀνθρώποις, ἀλλ' αὐτά τε φαίνεσθαι, τὴν δ' εὑροῦσαν μέθοδον γιγνώσκεσθαι. *Hoc eſt iuſtum ſimulque decens praemium eorum, qui quodcunque tandem in vita bonum inuenerunt, vt inuenta ipſorum non occultentur, neque hominibus ſint ignota, ſed tum ipſa appareant, tum ratio et methodus, quae ipſa inuenit, cognoſcatur.*

Ne quis vero ſibi perſuadeat, hac ſcriptione commodis eorum tantum, qui in academiis medicinae dant operam, proſpicere nos atque conſultum velle, non id effecimus ſolum, vt, quam fieri poterat breuiſſime, libri cuiuscunque Hippocratici aut auctoritatem confirmaremus, aut ex rei natura ſcriptorumque fide demonſtraremus vilitatem, verum etiam et breuem explicationem adiecimus, et earum rerum, quae niſi vtilitati, ornamento ſaltem medico eſſe poſſint, dilectum breuiter exiſtimauimus adumbrandum. Nam cum cuiusque artificis ſit originem artis, quam colat, et progreſſus, quos ſubinde laetius ſuccreſcens ceperit, noſſe penitius, vt exinde fructus hauriat vberrimos ad artis pomoeria aut vlterius proferenda, aut ſaltem, quam fieri poſſit belliſſime, eius opera expolienda, ecquod, facinus tam nefarium eſt tamque inauditum, ſi qua aut illuſtrandi argumenti gratia, aut vt lectoris animo laxamenti quid daremus, ex his elegantiorum litterarum ſtudiis repetiimus?

Neque

b) Difficult. Reſpirat. I. 1. p. 246. T. VII. ed. *opp.* HIPP. et *Gal. Charter.*

Neque hic constitit nostrum inseruiendi studium, sed si per argumentum licuit, etiam quaedam alia existimauimus immiscenda quasique delibanda, quae etsi iure suo videantur abesse posse, tamen et res doctorum virorum oculis dignas continent, et nostrae in Hippocrateos libros consumendae operae vel maxime consentanea sunt. Quorum in numero, vt hoc vtar, est prae ceteris magna illa quidem, at praeclara tamen nec illaudabilis disceptatio, HIPPOCRATES *corpora humana dissecuerit, nec ne?* Qua in re vt nobis haud licuit ab magnorum virorum stare partibus, ita etiam non potuimus non hac in scriptione veritati semper dare omnia, testimoniis aliorum aut nihil, aut oppido parum, nisi sic melius et probabiliter dixisse haec omnia videremur. Hinc si quos celebritate nominis conspicuos tanti haud videar aestimasse, quanti ob praeclara sua in litteras facinora mereantur, dabunt profecto id animi nostri simplicitati atque candori, sibique velim persuadeant, nullum vnquam tempus fore, quo, quantum per virium mearum imbecillitatem fieri possit, tantum eorum laudibus cumuli loco addere non constitutum sit animo.

Accedit et illud, quod multorum vtilitati et commodis consulturi, a quorum bibliothecis nonnullae operum Hippocrateorum editiones absunt quam longissime, varias vario tempore in vulgus datas cuiusque libri fronti praefiximus, (nos saltem multas ob caussas Lindenianam potissimum duximus adhibendam) adeoque doctorum virorum voluntati et arbitrio permisimus, quam prae ceteris in hoc nostro libello diiudicando sequi placeat. Non enim eorum iudicia detrecto, sed opto, modo iusta sint, nec ex praeiudicatarum opinionum vanitate deducta. Id vnum rogo meminerint, laborem hunc iuuenilem esse, nec forsitan sic limatum atque perpolitum, qualem eruditum veteranumque decet hominem.

Quae scriptio si punctum tulisse videatur, nec omni approbatione indigna, constitutum nobiscum est animo denuo ad *fragmenta veterum medicorum* propius accedere,

ac

ac in iis colligendis, et illuſtrandis paene verſari vnice. Quae res vt perardua eſt viriumque noſtrarum imbecillitati haud ſatis conſentanea, ita etiam quoscunque litteratura veteris ſtudioſos rogatos etiam atque etiam velim, vt beneuole hoc onus praegrande alleuent. Fecerunt id iam ea, qua ſolent, humanitate *Daniel Guilielmus Trillerus*, *Senex Venerabilis*, et *Reiske* V. Cl. quorum alteri vitam neſtoream atque poſt tantos tamque praeclare exantlatos labores rudem optamus, alteri vero in ſtrenuam veterum ſcriptorum aemulationem nato ea omnia ex animo apprecamur, quibus ob ſua in litteras elegantiores bene facta eſt digniſſimus. Ambo autem vt me amare ſtudiorumque ſuorum copia atque praeſtantia pergant pro viribus adiuuare, id eſt, quod perhumaniter rogo. Sed haec hactenus.

Praefationem enim ſcribo, non elucubrationem, adeoque tuum erit, L. B. legere atque videre, quid re ipſa ſit praeſtitum. Vale, et placide de labore hoc iuuenili iudica, et ſi quid operarum incuria aut male ſit expreſſum, aut temere mutatum, hoc noſtrae dabis abſentiae locique longinquitati. Vale iterum et faue. Scripſi Vratislauiae XIII. Calend. Septembres. cIↃ IↃ CCLXXI.



INDEX

INDEX
CAPITVM.

** CAPVT



CENSV-



CENSVRA LIBRORVM HIPPOCRATEORVM QVA VERI A FALSIS, INTEGRI A SVPPOSITIS SEGREGANTVR.

CAPVT I.

De vniuersa rerum, quibus librorum Hippocrateorum vis atque auctoritas continetur, explicatione.

§. I.

Encomium HIPPOCRATIS.



ogitanti mihi saepenumero et memoria HIPPOCRATIS auctoritatem repetenti, quam multis abhinc seculis scio tantam fuisse, vt cum ii, qui propius ab eius aetate a) afuerunt, sapientiae praestan-

a) Auct. Ep. *Paeti* ad *Artaxerx.* in calc. *opp. Hipp.* p. 898. Tom. II. ed. *Lind.* Οὗτος θείᾳ φύσει κέχρηται, καὶ ἐκ μικρῶν καὶ ἰδιωτικῶν εἰς μεγάλα καὶ τεχνικὰ προήγαγε τὴν ἰητρικήν. — οὗτος πατὴρ ὑγιείας, οὗτος σωτὴρ, οὗτος ἀκεσώδυνος, οὗτος ἁπλῶς ἡγεμὼν τῆς θεοπρεποῦς ἐπιστήμης. *Hic diuina natura praedi-*

praeſtantiam ſatis efferre laudibus non potuerint, tum qui patrum memoria eam eruditionis doctrinaeque magnitudinem eſſent conſecuti, vt recte de rebus ſtatuere poſſe putarentur, perbeati fuiſſe illi videri ſolent, qui inter diuini ſenis monimenta habitantes in artis ſalutaris adyta interioresque receſſus penetrabant, et cum principis huius in medicina viri veſtigiis inſiſterent, tanta cum nominis gloria morborum crudelitates debellabant, vt, ſi quis iam tuto et iucunde valitudinem aut amiſſam reuocare voluerit, aut labefactatam confirmare, non poſſit non in eorum ſimilitudinem HIPPOCRATEM ducem ſequi. Hic enim, vt olim de *Epicuro Lucretius* b).

Ingenio

praeditus eſt, et ex paruis atque vulgaribus ad magna et artificioſa medicinam euexit. — Hic eſt ſanitatis pater, hic ſeruator, hic dolorum curator, in ſumma, hic diuinae ſcientiae particeps. conf. *Suidas* in voc. Ἱπποκράτης, p. 1269. T. I. ed. PORTI. *Macrob.* in Somn. *Scipion.* L. I. 6. p. m. 41. ed. Lugd. in primis vero Antholog. Graec. T. I. 39. Tit. εἰς ἰατρούς.

Ἱπποκράτους φάος ἦν μερόπων, καὶ σώετο λαῶν
Ἔθνεα, καὶ νεκύων ἦν σπάνις ἐν ἀΐδῃ.

Lux hominum, HIPPOCRATES, *populos tutatus, in orco*
Fecit, vt vmbrarum copia rara foret.

Plura HIPPOCRATIS encomia apud veteres aeque atque recentiores ſcriptores obuia, ſi cuius ſcire interſit, adeat, quaeſo, *Io. Meibomii* Commentat. in Iuſiurand. HIPP. c. 21. p. m. 207. ſequ. conf. S. *Cypriani* Ep. 76. p. 153. ed. Pariſ. 1666. vbi myſteriis chriſtianorum initiatos *clinicos* vocari malle perhibet. Hinc: *Non inuenio,* inquit, *vnde hoc nomen adſumant, niſi forte qui plura et ſecretiora legerunt apud* HIPPOCRATEM, — κλινικοὺς *iſtos* deprehenderunt.

b) L. III.

Ingenio superauit et omnes
Praestrinxit, stellas exortus vt aethereus sol,

adeoque, nisi me omnia fallunt, recte haec *Suidae* c) ad HIPPOCRATEM magnum referri posse censeo. *Μᾶλλον αὐτὸν ἐκπλήττεσθαι σιωπῇ, ἢ ἐπαινεῖν ῥᾴδιον, οὐδενὸς λόγου ταῖς τοῦ ἀνδρὸς ἀρεταῖς ἐξισομένου. Facilius multo est tacite ipsum admirari, quam laudare. Nulla enim oratio virtutes eius adsequi posse videtur.* Tam enim, si qua in re alia, in describendis certe morborum signis ac euentis est admirabilis, vt, si integra eius monimenta legeris, naturam ipsam, omni deposito velamento, tibi coram intueri videaris.

SECTIO I.

De Modo, quo veris falsi libri potuerint immisceri.

§. II.

Praecipua caussa fuit Ptolomaei et Attali aemulatio, nec non bibliothecae Alexandrinae deflagratio.

Sunt quidem haec, quae de librorum Hippocrateorum auctoritate delibauimus, tanta, tum praeclara, tamque imitatione omni digna, nihil vt supra. Interest vero plurimum nosse, a quo quisque profectus est, adeoque non possum non eos cum maxime suspiciendos atque colendos ducere, qui in his diuini senis monimentis collocandis, ordinandis, integritatique reddendis omnem suam

c) Sub voc. Ἀντωνῖν.

ſuam operam, omne ſtudium, omne tempus poſuerunt.

Nam cum in tanta apud veteres gloria eſſet HIPPOCRATES, vt, auctore *Galeno* d), ὥσπερ θεȣ̃ φωνὴ ἡ Ἱπποκράτȣς λέξις haberetur, eaque in ſcribendo et experiundo vteretur accuratione, qua ante eum vſum puto neminem; factum eſt, vt multi, iique nec illiterati viri hoc nomine ceteris imponerent, et ſi quos inuita haud raro Minerua aut lucri ſtudio ducti libros conſcripſerant, eos huius viri gloria et auctoritate tuto delitеſcere poſſe arbitrarentur. Id quod vel maxime tum vſu veniſſe *Galenus* e) memoriae prodidit, cum *Ptolomaeus Euergetes* f), Aegyptiorum rex, et *Attalus* g) aemulatione quadam haud illaudabili capti ad inſtruendas augendasue bibliothecas animum appellerent, et ſi fors fortuna veterum

d) L. Vtil. Part. I. 9. p. 291. T. IV. ed. *Chart. Suidas* in Voc. Ἱπποκράτης p. 1269. Vol. I. ed. *Port.*

e) In L. Nat. Hom. Comm. II. Praefat. p. 128. T. III. ed. *Chart.* In L. de Humor. Comment. I. Praef. p. 509. T. VIII. immo vero in III. Epid. Comm. II. 4. p. 248. T. IX. *Aeſchyli*, *Sophoclis*, *Euripidis*, fabulas magno pretio ab Athenienſibus *Ptolomaeus* redemiſſe dicitur.

f) *Gal.* in L. III. Epid. Comment. II.

g) *Strabo* Geograph. XII. — conf. L. XIII. — vbi *Eumeni*, ex quo natus hic *Attalus* erat, hanc laudem deberi litteris reliquit conſignatum: et l. cit. p. 608. *Ariſtotelem* primum fuiſſe perhibet, qui bibliothecam colligeret, eaque re Aegypti regibus exemplo quaſi fuiſſe, in quod intuerentur, quodque imitando exprimerent. *Galeno* vero L. X. Simpl. Medic. Facult. 1. p. 274. T. XIII. ed. *Chart.* plures medicamentorum formas conquiſiſſe perhibetur. Conf. *Plutarch.* in Vit. *Sullae* p. 172. edit. Baſil. 1554.

terum ſcriptorum monimenta obtulerat, nec ſumtuum parcerent magnitudini, nec operis tanti tamque moleſti laborem faſtidirent. Quid igitur mirum, ſi multi, auri ſacra fame compulſi, ſeſe ad HIPPOCRATIS mentem doctrinamque componerent, et ſimilitudine quadam orationis adhibita, incautis lectoribus fucum darent, qua in re memini me conſentientem habere *Th. Bartholinum* h)? Et bibliotheca alexandrina, cum a *Iulii Caeſaris* militibus incenſa conflagraſſet, nonne facile fieri potuit, id vero factum eſſe, cum ex hiſtoriis patet, tum *Io. Neandri* i) teſtimonio confirmatur, vt maliuolorum hominum ſtudio integris Hippocrateis libris ſurrogarentur alieni? Sin vero veterum ſaltem ad nos perueniſſent verſiones Hippocraticae, quarum vnius meminit *M. Aurel. Caſſiodorus* k), plura forſitan hoc de argumento, eaque tutiora commemorari poſſe videntur.

§. III.

Cauſſarum inueſtigatio, vnde tot diuerſitates et repugnantiae dimanarunt.

Quicquid tamen difficultatum nobis ex transuerſo quaſi fuerit obiectum, tantum abeſt, vt cum *Barchuſenio* l) inſignem hanc repugnantiarum multitudinem HIPPOCRATIS *inconſtantiae* tribuamus:

h) Diſſ. II. de libris legend. p. 25.
i) Medicin. Natalit. p. 85.
k) Divin. Lect. c. 31. Similiter *Pelopis* ſtudio primum apud latinos hac ratione aphoriſmi innotuerunt HIPPOCRATIS. v. Auct. Comment. *Oriboſ.* Praef. p. 8.
l) Hiſt. Med. Dial. IX. p. 186.

mus: fuit enim vel in minimis callidus obſeruator; Sed ſi quid video, vel maxime ab *incuria eorum, qui libros deſcripſerunt*, profectum eſt, qua in veterum ſcriptorum monimentis, vt *Strabo* m) memorat, nihil frequentius, et, *Galeno* n) auctore, ſcribae non ſcripturae elegantiae dabant operam, ſed celeritati per notas, vnde poſtea multa, eaque maxima ſubnata damna ſunt. Sic olim *Artemidorus Capito* et *Dioſcorides* o) ſibi multum licere putarunt, quorum editiones operum Hippocrateorum etſi probabantur *Adriano* imperatori, tamen ſibi in auctoris verbis temere mutandis alienisque inſinuandis mirum, quantum licentiae indulſerunt. *Commentatorum* etiam effecit *ignorantia*, vt, quae ad marginem alii alleuerant illuſtrationis gratia, in textum temere pro genuinis adoptarentur, aut tandem, vt iamiam monui, *hominum* debetur *malignitati*, quicquid errorum et repugnantiarum HIPPOCRATIS magni libros contaminare videtur. Recte enim *Galenus* p): *Καὶ φθονεροί τινες ἤτοι κατακρύπτουσιν, ἢ τελέως ἀφανίζουσι τὰ τῶν πρεσβυτῶν βιβλία. τινὲς δ' ὑπὲρ τοῦ λέγειν, ὡς ἴδια τὰ αὐτοῖς γεγραμμένα πράττουσι τοῦτο. Quin etiam inuidi quidam aut ſupprimunt, aut omnino abolent veterum libros.*

m) Geograph. loc. cit.

n) Difficult. Reſpirat. III. 2. p. 269. ſequ. T. VII. ed. *Chart.*

o) *Gal.* Gloſſ. voc. ἀπεβράσσατο: Comm. I. Nat. Hom. Text. 1. p. 97. T. III. ed. *Chart.* In L. de Humor. Comm. I. 34. p. 581. T. VIII. In L. Epid. VI. Comm. I. Praef. p. 354. T. X. ed. *Chart.*

p) In L. Nat. Hom. Comm. I. 1. p. 98. T. III. ed. *Chart.*

bros. Sunt, qui id faciant, vt, quae in eis tradita, ſua eſſe dictitent. Sed hac in re, vt fieri ſolet, aliter *Soranus* q): Περὶ δὲ τῶν συγγραμμάτων αὐτȣ̃ πολλὴ γέγονε διαφωνία, ἄλλων ἄλλα δοξασάντων· ὅθεν ȣ̓κ εὐμαρὲς τὸ περὶ αὐτῶν ἀποφήνασθαι, διὰ τὸ πολλὰς αἰτίας ἐπισκοπεῖν τῇ κρίσει. πρῶτον τὴν ἐπωνυμίαν· δεύτερον τὸ δύνασθαι τὸν χαρακτῆρα τῆς φράσεως τηρῆσαι. τρίτον διὰ τὸ ἕνα καὶ τὸν αὐτὸν ποτὲ μὲν ῥωμαλεώτερον, ἄλλοτε ἀσθενέστερον διὰ τὴν ἡλικίαν συγγράφειν καὶ ἄλλας δὲ μετὰ τȣ́των αἰτίας ἐστὶν εἰπεῖν. *De ſcriptis ipſius multa diſſenſio eſt. Quare ſit, vt, cum alii alia opinentur, non facile ſit de ipſo certum quid pronunciare ob multas praeſertim cauſſas, quae iudicii certitudinem offuſcant. Veluti eſt primum quidem cognomen; ſecundo quod dictionis characterem poſſibile ſit ſeruare; Tertio quod vnus et idem modo robuſtiore, modo remiſſiore dictione per aetatem vtatur; neque deſunt etiam aliae praeter has cauſſas, ſi referre liberet.* Quae quam vere et HIPPOCRATI accommodate dicta ſint, penes lectorem iudicium eſto.

§. IV.

Dubitationes veterum et recentiorum ſcriptorum.

Librorum autem, qui HIPPOCRATIS magni nomen gerunt in fronte inſcriptum, vix ac ne vix quidem tertiam partem ad eum pertinere, dubium fore, puto, nemini. Plurimorum enim ne

q) In Vita HIPPOCR. ad calc. *opp.* T. II. p. 954. ſequ. ed. *Lind.*

nomen quidem apud *Erotianum* et *Galenum*, cum id argumentum ſtudio dataque opera pertractarent, memorari, quis eſt, qui neſciat? Et ſi forte prolata in medium videas nomina, dubii auctoris eſſe adfirmantur. Neque defuerunt inter ſcriptores veteres aeque ac recentiores, qui hanc de lubrica librorum Hippocrateorum auctoritate ſententiam memoriae proderent. *Quaſi vero in litteris ſecularibus*, inquit S. *Auguſtinus* r), *non fuerint certiſſimi auctores, ſub quorum nominibus poſtea multa prolata ſunt et ideo repudiata, quia vel his, quae ipſorum eſſe conſtaret, minime congruerunt, vel eo tempore, quo illi ſcripſerint, nequaquam innoteſcere, et per ipſos vel familiariſſimos eorum in poſteros prodi commendarique meruerunt. Nonne, vt alios omittam,* ſub HIPPOCRATIS, *nobiliſſimi medici, nomine quidam libri prolati, in auctoritatem a medicis recepti non ſunt. Nec eos adiuuit nonnulla ſimilitudo rerum atque verborum, quando comparati eis, quos vere* HIPPOCRATIS *eſſe conſtaret, impares iudicati ſunt, et quod ab eo tempore, quo et cetera eius ſcripta, non innotuerunt, quod vere eius eſſent. Hos autem libros, quibus illi, qui de transuerſo proferuntur, comparati reſpuuntur, vnde conſtat eſſe* HIPPOCRATIS; *vnde ſi quis hoc neget, nec ſaltem refellitur, ſed ridetur, niſi quia ſic eos ab ipſo* HIPPOCRATIS *tempore vsque ad hoc tempus et deinceps ſucceſſionis ſeries commendauit, vt hinc dubitare dementis ſit.* Quocum patrum memoria, dici vix poteſt, quam bene conſenſerit *Herm. Conrin-*

r) Contra *Fauſtum* Manichaeum L. XXXIII. 6. p. 493. T. VI. ed. *Froben.* 1556.

Conringius [s]): *Scripta, quae hodie* HIPPOCRATIS *nomine circumferuntur, non vnius auctoris ſunt. Id quod potiſſimum patet, quod vnus liber alteri ſaepe aperte contra dicat, immo nonnunquam in vno eodemque libro complures contradictiones inueniantur, quem itaque conſutum eſſe ex variis variorum auctorum centonibus manifeſtum eſt. Quod vtique certiſſimo indicio eſt, opera iſta a varia manu eſſe profecta.*

Quae omnia cum tam certa ſint, quam quae certiſſima, ſuperuacaneam, ſpero, hanc noſtram operam fore in colligendis afferendisque iis locis, qui commentitios id genus libros ad HIPPOCRATEM pertinere ſatis ſuperque demonſtrare poſſe videantur.

§. V.

Falſae diſtinctionis confutatio.

At vero apud veteres moris erat, *duplici* vti *ſcribendi genere; alterum* in obuiis quibusque argumentis verſabatur, adeoque erat *tenue, alterum* vero ſublimiora ſpectabat, eaque de cauſſa *ſubtiliter et magna cum accuratione* pertractabantur omnia. Id prae ceteris apud *A. Gellium* [t]) feciſſe perhibetur

s) Introduct. in Vniuerſ. Art. Medic. C. III. §. VIII. p. 86. ed. Hal.

t) Noct. Attic. XX. 4. p. 283. ed. *Aldin.* Haec ἐξωτερικὰ *Cic.* L. de Finib. V. 1. ſequ. per *populariter ſcripta* explicat, illa vero *Simplicius* L. I. de Caelo, voc. σπουδαιότερα, haec voc. τὸ πολλοῖς προτιθέμενον exprimit. Similiter *Clemens Alexandrin.* Strom. V. p. 419. ed. Lugd. Bat. κοινὰ et ἐσωτερικὰ ſibi opponit. *Ariſtoteles* Meteor. I. 1. — pro ἐξωτερικὰ etiam vſus eſt ἐγκύκλια, et iterum Oeconom. II. in princ. — nec non Polit. I. 7. — ἐγκύκλια διακονήματων;

Aristoteles, atque omnia in ἐξωτερικὰ et ἀκροαματικὰ distribuisse, quae *Plutarchus* [tt]) τὰς ἀποῤῥήτας καὶ βαθυτέρας διδασκαλίας dixerat, immo vero, auctore *Clemente Alexandrino* [u]), id prae ceteris apud Pythagoraeos obtinuerat. Nonne igitur HIPPOCRATIS magni auctoritate videtur dignissimum, *tenue* adhibere *orationis genus*, cum discentium prospiceret emolumentis atque commodis, at *breue ac concisum*, si ad eruditos viros de arduo quodam doctrinae reconditioris argumento dissereret?

Scio equidem haec omnia, videnturque aliquo modo ferri posse, immo vero, si quid video, haec certe fuit *Sorani* [v]) sententia. Sed non, nisi id vnum ex his conficitur, variam orationis formam haud dedecere virum grauem, adeoque nec Hippocratem. Vnde vero tot argumentorum repugnantiae, tantaque placitorum dissensio, nisi quae HIPPOCRATIS nomine circumferuntur monimenta, ea maximam partem alieno cuidam homini, quisquis demum ille sit, accepta ferenda esse censeas?

SECTIO

τα; denique in L. Art. Poet. — adfert λόγους ἐκδεδομένους. Similis fuit *Democriti* ratio apud *Vitruuium* Architect. IX. 3.

tt) In *Alexandro* Magno.

u) Strom. V. p. 419. ed. Lugd. Bat. discipuli *Pythagorae* distribuuntur in ἀκουσματικοὺς et μαθηματικοὺς, et *Hipparchum* ea de caussa Schola fuisse eiectum prodidit memoriae, quod quaedam praeceptoris placita populariter pronunciasset.

v) Loc. cit.

SECTIO II.

De notis iis, quibus Hippocrateorum librorum integritas possit internosci.

§. VI.

Breuitas orationis Hippocraticae.

Mira vtitur in scribendo breuitate HIPPOCRATES, quare *Galeno* [w]) multis in locis dicitur βραχυλόγος, eaque re, si quid video, vel maxime factum putem, vt, qui nullam cum hoc viro summo familiaritatem contraxerant atque vsum [x]), eius mentem aut non adsequerentur, aut ea, quae linguae graecae ignoratione praepediti haud adsequi poterant, in rerum obscurissimarum numero ponerent, atque quaedam deficere [y]) sibi persuaderent. Sed quam turpiter se dent isti iudices minutuli, vel ex eo colligas, quod HIPPOCRATIS oratio, etsi perbreuis est, et vt *Io. Langio* [z]) videtur, laconica, (id quod vnquam vsu venisse iure suo negat *Ernestius* [a]) V. Cl.) tamen facilis intellectu sit, nisi hominum quorundam aut incuria nonnulla neglecta sint, aut maliuolen-

w) L. de Venaesect. aduers. Erasistrateos c. 4. p. 415. T. X. ed. *Chart.* L. Difficult. Respirat. II. 8. p. 256. T. VII.

x) *Galen.* L. aduers. *Lycum* c. 1. p. 359. P. II. T. IX. ed. *Chart.*

y) *Galen.* L. de Iudicationib. III. 11. p. 447. T. IX. ed. *Chart.*

z) L. II. Ep. 50. p. m. 723. Sed haec minus recte, vt multa, *Io. Langius.* Nam, auctore *Aeliano* Var. Hist. XII. 50. p. 240. T. I. ed. *Kretschm.* Si quem Lacedaemonium appellares, idem erat, ac si rudem et artis dicendi ignarum.

a) Init. Rhetor. c. VI. §. 409. p. m. 200.

liuolentia peregrina haud raro et falfa adoptata. Eft praeterea folitae veterum breuitati b) accommodata, habuitque, *Galeno* c) auctore, temporis et loci rationem HIPPOCRATES. Recte enim ille: *Οὐχ ἁπλῶς, ὐδὲ ἀεὶ βραχυλογίαν ἀσκεῖν ἔοικεν ὁ Ἱπποκράτης, ἀλλ' ἐν οἷς μέγα τι τὸ κινδυνευόμενον τῷ ἀμελῶς ἀκȣσθέντι διδάσκει, λέγειν ἐπὶ τȣ́των ȣ̓κ ὀκνεῖ ταῦτα ἐνίοτε δὶς ἢ καὶ τρίς.* *Non fimpliciter, neque femper feruare breuitatem videtur* HIPPOCRATES, *fed in quibus magnum aliquod periculum imminet, fi negligentius, quod ab ipfo docetur, accipiatur, in his bis terue repetere eadem non veretur.* O viri magni ingenium! In eorum enim haberi detrectat numero, *qui*, vt *T. Liuius* apud *M. Senecam* d) dicere de oratoribus folebat, *verba antiqua et fordida confectantur, et orationis obfcuritatem feueritatem putant*, fed omnia breuiter, nulla perfpicuitati illata iniuria, et accommodate ad rem exprimit, adeoque quid rectius, quid fuauius illo *Erotiani* e)? *Λελήθασι ταῦτα περὶ τȣ̃ ἀνδρὸς ἐπὶ τῶν μειρακίων φλυαρȣ̃ντες, ὡς μᾶλλον καὶ Ἱπποκράτης ταῦτα. ὅσον τὴν αὐτῶν ἀμαθίαν εἰς ὕπαιθρον ἄγȣσιν. εἰ μὲν γὰρ μόνος ἢ πρῶτος ἐπιπλάττει τὰς φωνὰς, ἴσως αὐτȣ̃ τὸ περίεργον ἐμέμψατο ἄν τις. ἐπεὶ δὲ*

b) *Galen.* L. de Element. I. 9.

c) In L. V. Aph. 64. p. 239. P. II. T. IX. L. de Venaef. aduerf. Erafiftrateos c. 4. p. 415. T. X. In L. de Fractur. Comm. III. 4. p. 233. T. XII. ed. *Chart.*

d) Controuerf. 25. L. IV. p. 196. ed. *Schott.*

e) Gloff. Praefat. p. 31. T. 1. ed. *Chart.* conf. *Galen.* Gloff. Praef. p. 80. T. I.

δὲ πάλαι αἱ συνήθειαι ταύτῃ κέχρηνται τῇ περὶ διάλεκτον φορᾷ, ἐξ ὧν οἵ τε περὶ τὴν ἀρχαίαν κωμῳδίαν καταγινόμενοι ἐμφαίνουσι, καὶ τῶν μὲν φιλοσόφων Δημόκριτος, τῶν δὲ ἱστορικῶν Θουκυδίδης, καὶ Ἡρόδοτος, καὶ σχεδὸν ὁ σύμπας τῶν ἀρχαίων χορὸς συγγραφέων, τί δήποτε τὸ πᾶσι τοῖς ἀρχαίοις εἰρημένον συμβεβηκέναι, τοῦτο καθ' Ἱπποκράτους νενομίκασι μόνον; *Ignorarunt, qui iſta de magno hoc viro apud pueros nugantur, cuiusuis id potius, quam* HIPPOCRATIS *eſſe. Quo magis inſcitiam illi ſuam ſub dium produnt. Si enim ſolus aut primus voces effingit, fortaſſe ipſius curioſitatem iure quis vituperet. Sed quoniam iam pridem conſuetudo hoc in loquendo curſu vſa eſt, vt et qui e vetere comoedia fuere, oſtendunt, et e philoſophis Democritus, ex hiſtoricis autem Thucydides et Herodotus, et vniuerſus ferme veterum ſcriptorum grex, cur tandem, quod omnibus antiquis dicitur contigiſſe, id de ſolo* HIPPOCRATE *exiſtimarunt?*

§. VII.

Continuatio.

Quare cum id haud neglexerit HIPPOCRATES, longe ſane mihi antecellere videtur *Homero* [f]) ipſi, qui in rebus exprimendis ſaepenumero tam anxius eſt et operoſus, vt vel ὑγρὸν ἔλαιον et γάλα λευκὸν, μηδενὸς ἕνεκα διορισμοῦ appellare haud erubeſcat. Attentius tamen verſanti HIPPOCRATIS magni monimenta patebit, quam multa et quam bene *Homeri* poetarumque grauita-

f) *Galen.* L. de Comate, p. 196. T. VII. ed. *Chart.*

grauitatem imitando adſecutus ſit, eaque de cauſſa *Erotiano* g) dictus fuiſſe videtur Ὁμηρικὸς τὴν φράσιν.

At multis haec diuini ſenis breuitas, mirum, quantum diſplicuit, iisque, cum querulorum numerus quotidie ſuccreſcat incredibiliter, non poſſum non, quin *Galeni* h), monitum velim eſſe commendatiſſimum. *Εἰ μὲν τὰ σαφῶς ὑφ' Ἱπποκράτους γεγραμμένα, μὴ νοήσας κατὰ τὴν πρώτην ἐπιβολὴν, καὶ δὶς, καὶ τρὶς, καὶ πλεονάκις ἀναγνώτω προσέχων τὸν νοῦν· εἰ γὰρ τοῦτο ποιήσῃ, πάντως ταῦτ' ἐννοήσει σαφῶς ἑρμηνευόμενον. Si quis prima lectione non intelligit, quae clare ab* HIPPOCRATE *ſcribuntur, iterum et tertio, et ſaepius diligenti animaduerſione relegat. Quod ſi fecerit, quae plane ab ipſo traduntur, omnino intelliget.* Sin vero cuius ſcire intereſt iuſtae breuitatis notas, eum *Caelium Rhodiginum* i) et *Erneſtium* k) legiſſe non poenitebit. Viam enim inueniet muniтiſſimam ad perſpiciendum, quam preſſe ſe ad iuſtas leges compoſuerit HIPPOCRATES, adeoque eius in ſcribendo breuitas non niſi harum rerum prorſus ignaro taedio atque oneri eſſe poſſe videtur.

§. VIII.

g) Loc. cit.

h) In L. de Articul. Comm. III. 49.

i) Antiqu. Lect. XIII. 33. p. 693. ed. *Aldin.* vbi iuſtae breuitatis dotes praeclare explicantur, exemplorumque praeſtantia confirmantur, quae legiſſe poenitebit, puto, neminem.

k) Init. Rhetor. c. VI. §. 416. ſequ. p. 202.

§. VIII.

Dialectus Ionica at vero nec neglecta ceterarum dialectorum admissione.

Sed breuitatis solius, tantum abest, vt reus agatur HIPPOCRATES, vt etiam multis eius scribendi genus durum et obsoletum esse videatur. Nam quo magis a vernacula nostra, lubrica sane ea et inconstantissima, videtur recedere, orationis forma, quam potissimum secutus est HIPPOCRATES, eo magis operae pretium est videre, quid hac de re sentiendum sit. Alius enim alio hac in re fertur et tantum non rapitur, idque non demum factum est heri et nudius tertius. *Cl.* enim *Aelianus* l): Λέγουσι δὲ Δωριέα ὄντα τὸν Ἱπποκράτην, ἀλλ' οὖν καὶ τοῦ Δημοκρίτου χάριν τῇ Ἰάδι φωνῇ συγγράψαι τὰ συγγράμματα. *Dicunt enim Hippocratem fuisse Doriensem, sed Democriti gratia Ionica lingua suos conscripsisse libros.* Recte quidem *Aelianus*, eum natione Doriensem, adeoque ex patriae instituto dialectum doricam ei quasi natiuam fuisse adfirmat, qualia passim in Hippocrateis occurrunt monimentis, νοσεῦνται, ἡγεῦμαι, ἁρμίως, ῥυσμὸς, quae vox, auctore *Suida* m), Abderitica est et *Democrito* praesertim familiaris, vt litteris consignatum reliquit *Aristoteles* n); immo vero ex *Diogene Laërtio* o) intelligimus,

l) Var. Hist. IV. 20. p. 119. ed. *Kretschmar*.

m) Sub voc. ῥυσμὸς p. 699. T. II. ed. *Port.* Conf. *Philoponus* in *Aristot.* I. de Anima, et *Menag.* ad *Diogen. Laërt.* IX. Sect. 47. p. 414. sequ.

n) Metaphys. I. 43.

o) Sub voc. Δημόκριτος.

girnus, *Democritum* περὶ διαφερόντων ῥυσμῶν et περὶ ἀμειψιῤῥυσμῶν libros conſcripſiſſe. Similis ratio eſt verborum κίθαρος, τενθρηνιώδης, quod ad *Democritum* referendum cenſuit *Aelianus* p), et forſan quaedam alia in Hippocrateis monimentis obuia. Sed inde nullo modo id, quod volebat *Aelianus*, confici poſſe arbitror. Nam ipſe ille *Democritus*, cuius cauſſa haec omnia facta fuiſſe perhibentur, oporteret, Mileti natus eſſet, vbi Ionica dialectus obtinuerat, neque Abderis, etſi *Iuuenalis* q), communi rumore deceptus, eum Abderitanum videtur habuiſſe. Sed hac de re alii videant.

§. IX.

Ionica dialecto formaque orationis prae ceteris vſus eſt.

Repetenti enim mihi memoria veterum ſcriptorum diligentiam, qua quo maiori ſcribendi dicendiue elegantia inclareſcere quidam, aliisque antecellere cuperent, eo magis *Ionicam rationem* adſequi conabantur, dubium nullo modo videtur, HIPPOCRATEM communi eruditorum hominum more hanc omnibus aliis praelatam voluiſſe. Accedit et illud, quod *atticam* et elegantia et facilitate propius attingebat, vt recte *Mercurialis* r) monuit, atque iuncta felicitati in rebus exprimendis, maiori gaudebat gratia. Hinc ad Ionum ſimilitudinem φλάσματα pro θλάσματα, μετεξέτερος

p) Hiſt. Animal. XII. 20.
q) Sat. X. v. 34. ſequ.
r) Var. Lect. II. Ep. 18. p. 110.

ξέτερος pro ἕτερος, χρὼς pro σαρκῶδες, vt *Homerus* ſaepenumero, ναυσίωσες cet. dixiſſe videtur, eaque de cauſſa *Lindenium* commotum fuiſſe puto, vt temerario auſu quibuscunque locis Ionicam redderet orationis formam. Fallitur vero vir bonus vehementer. Conſtat enim inter omnes, miram dialectorum communionem et contagionem quaſi plurimis eorum, qui Ionica ratione vſi ſunt, fuiſſe perquam familiarem, quorum in numero facile princeps eſt *Herodotus*.

§. X.

Continuatio, qua quos imitetur HIPPOCRATES, *demonſtratur.*

Solet praeterea *Hippocrates* [s]) more *Xenophontis* quasdam figuras orationis ſingulares conſectari, populari tamen nec neglecta aut poſthabita, idque frequentius, quam vt hac de re dubitare poſſis, videturque *Galeno* huc referendum κιγκλισμὸς, πλοώδης ἐςὶν cet.

At tam conciſa vſus eſt oratione, vt multis in locis laborem faceſſat lectoribus, et multus vel maxime eſt in *decompoſitis*, vt grammatici loquuntur, id quod ei quaſi proprium eſt, nec niſi *Herodoto* et poetis familiare. Scio, eaque certe re, factum eſſe *Galenus* [t]) perhibet, vt veterum multis ei

s) *Gal.* in L. de Articul. Comm. I. 69. p. 326. T. XII. ed. *Chart.*

t) L. Difficult. Reſpir. II. 7. p. 254. T. VII. ed. *Chart. Thucydides* in *orationis* forma feliciter *Homerum* expreſſit, ſublimitate vero *Pindarum*, immo vero ſaepenumero haud dubitauit in poetarum fines graſſari, eosque translationi-

ei quaedam in ſcribendo ſimilitudo cum *Thucydide* videretur intercedere, quem in hoc orationis genere principem fuiſſe multi ſibi perſuaſerant.

§. XI.

Adhibuit HIPPOCRATES *veterem atticam orationis formam.*

Quid? quod *vetus atticum orationis genus* HIPPOCRATEM fere expreſſiſſe *Galenus* u) auctor eſt, quae quo magis probabiliter dixiſſe videretur, haec addere nullus dubitat: Ἐςὶ γὰρ ἀμέλει καὶ τοῦτο σύνηθὲς τοῖς Ἀττικοῖς, ὧν τῇ διαλέκτῳ χρῆται κατά τι καὶ ὁ Ἱπποκράτης, ὡς ἀποφῆναθαι τινὰς αὐτὴν ἀρχαῖαν ἀττίδα. *Atticis enim hoc prorſus eſt vſitatum, quorum linguam* HIPPOCRATES *aliquantum vſurpat, ita, vt eius ſermo a nonnullis priſcus atticus exiſtimetur.* Nec eſt, quod hac de re vehementer dubitemus. Continentur enim Hippocrateis monimentis multae Atticorum locutiones, qualis, vt vnam addam, πράττειν τὴν ψυχὴν, cet. *Lingua* vero *vetus attica* habet, *Henrico Stephano* v) iudice, multa cum Ionica communia, eaque vſi fuere *Thucydides* et *Plato*,

lationibus audacter efformandis imitari, id quod ſaltem in HIPPOCRATEM nullo modo cadit.

u) In L. de Fractur. Comm. II. 1. p. 153. T. XII. ed. *Chart.* vbi ſimul libellum περὶ τῆς Ἱπποκράτους διαλέκτου promiſit, ſed nec a promiſſis ſtetit. Conf. in L. de Humor. Comm. I. 2. p. 517. T. VIII. Similiter fecit Thucydideo more HIPPOCRATES, et ex *atticae linguae veteris* inſtituto ξ pro σ vſus eſt, diphthongo pro forma ſimplici, αἰεὶ pro ἀεὶ cet.

v) L. de Atticae Linguae Idiomat. p. 235. ad calc. Gloſſar.

to, vt *Dionyſius Halicarnaſſeus* w) memoriae prodidit. Hinc ea ex *Gorgia Leontino*, quem audiuiſſe apud *Soranum* x) dicitur, facile haurire potuiſſe videtur.

§. XII.

Ratio, quid ſit, quod multis obſcurus videatur HIPPOCRATES.

Neque mirum cuiquam videri poſſe puto, etſi, *Galeno* y) auctore, iis vocabulis vſus eſt HIPPOCRATES, quae rhetoribus dicuntur πολιτικὰ, eum nihiloſecius graecis hominibus ſaepenumero nec intelligi, nec explicari potuiſſe, cum nec omnes παλαιᾶς ἑρμηνείας z) gnari ſint? Similem enim cum *Thucydide* fortunam expertus videtur, qui vt praeter haec et aliam ſequitur orationis formam, ita etiam HIPPOCRATES cum atticam, tum ionicam inter ſe putauit arctiſſime colligandas. Hinc ſi *attice dicere* eſt *tenuiter dicere*, vt *Quinctiliano* a) multisque aliis viſum eſt, in HIPPOCRATEM certe vel maxime cadere videtur. Temporum praeterea habenda eſt ratio, ſi haec omnia rite velis perſpicere. Vt enim mira ſubinde facta eſt ingeniorum mutatio, prouti aut quaedam res maiori luce colluſtrarentur, aut nouae prorſus et inuſitatae inuenirentur, aut tandem imperii forma a conſueta recederet; ita etiam non

 potuit

w) In Vita *Lyſiae*.
x) In Vita HIPP. p. 951. T. II. ed. *Lind.*
y) In L. III. Epid. III. 32. p. 268. T. IX. ed. *Chart.*
z) *Gal* Meth. Med. IV. 4. p. 93. T. X. ed. *Chart.*
a) Inſtit. Orat. X. 1. XII. 1.

potuit non fieri, vt ex hac rerum conuerſione ſubnaſceretur quaſi defectio a priſco orationis robore, et ſermo ipſe, depoſita veterum ſcriptorum grauitate, nouam quaſi formam, mollem iſtam quidem et eneruatam, at acceptam tamen atque temporibus appoſitam, indueret, quale quid, qui veterum monimenta legerit, factum eſſe, et codicum penuria hodieque fieri, non ibit, ſpero, inficias.

Quare ſi cui HIPPOCRATIS oratio videatur iuſto obſcurior et a ſolita forma multum abhorrens, id et temporum ruditati, ſi Dis placet, velim attribuat, et ſermonis viciſſitudinibus, quibus maliuolentiam hominum et ſcribarum incuriam adiici poſſe, quis eſt, qui neſciat? *Οὐκ ἐςὶν Ἱπποκράτης συνήθεια*, inquit *Galenus* b) *ἀήθεσι καὶ σπανίοις ὀνόμασι χρῆσθαι. Non eſt* HIPPOCRATIS *inſtitutum, inuſitatis et infrequentibus vti nominibus.* Hac igitur rerum conuerſione factum exiſtimem, vt longo illo temporis ſpatio, quod HIPPOCRATEM et recentiores interceſſerat commentatores, quales in primis *Erotianus* et *Galenus* c) ſunt, et verborum antiquarentur ſignificationes, et voces nouae adoptarentur.

§. XIII.

b) L. cit. conf. Gloſſ. Praefat. p. 80. T. II. ed. *Chart.*

c) Nunqnam defuere, qui in HIPPOCRATIS magni monimenta commentarentur. Inter veteres commemoratu digniſſimi videntur *Xenocritus* Grammaticus, qui, *Erotiano* auctore, Gloſſ. Praefat. p. 31. T. II. ed. *Chart.* omnium omnino primus fuit, qui talem operam in vulgus ederet, *Callimachus*, *Bacchius*, *Philinus Empiricus*, *Apollonius* Citticus, *Dioſcorides Phacas*, *Apolonius Coluber*, *Glaucias*, *Empiricus*, *Lyſimachus Cous*, *Eupho-*

§. XIII.

Grauitas orationis atque ſimplicitas. Ratiocinii parum aut nihil omnino.

Incidit praeterea HIPPOCRATIS aetas in ea tempora, vbi omnia omnino ſimplicitate quadam narrabantur naturali rebusque accommodata. Satis enim ſibi eſſe veteres exiſtimabant, naturam ſcribendo imitari, quae quo ſimplicior eſt, eo magis placet, adeoque non poſſumus non optimum quemque iſtorum temporum ſcriptorem antiquum putare, quo minus ab hac naturali orationis forma deflexerit. Id vero quam proprium ſit et quaſi natiuum HIPPOCRATI, monimenta eius integra ſatis ſuperque docuerunt, et omnes iuſti rerum arbitri, quorum in numero *Foëſius* d) eſt, cenſuerunt.

Recte hinc, ſi quid video, *Clericus* e) eos libros omnino omnes prae ceteris iudicauit ſuppoſitos, quibus *plurimum* continetur ratiocinii, atque in eo conſentientem *Galenum* f) habet, qui a genui-

Euphorion, qui anteceſſoris ſui libros collegit et explicauit, *Ariſtarchus*, *Parepiceleuſtus Cres*, qui *Bacchii* dictionem commentariis illuſtraret; *Ariſtocles*, *Antigonus*, *Heraclides Tarentinus*, *Zeuxis*, *Sabinus*, *Sorando*, *Pelops*, *Rufus*, *Numiſianus*, *Lycus*, *Iulianus* cet. ſexcenti praeterea alii, quorum opera aut penitus iniuria temporis perierunt, aut ſaltem non, niſi nomine ad nos peruenerunt, eorumque operas ſi cuius intereſt plane perſpicere, adeat, quaeſo, *Erotianum*. Loc. cit.

d) Praefat. ad L. Epid. p. 4. Sect. VII.

e) Hiſt. de Medecine P. I. L. III. 30. p. m. 229. ed. 1702.

f) In Praefat. Comm. II. in L. III. Epid. p. 231. T. IX. ed. *Chart.*

a genuinis HIPPOCRATIS magni monimentis cuncta θεωρήματα procul abesse iusserat. Nam cum HIPPOCRATES, auctore *Celso* g), *primus ex omnibus memoria dignis ab studio sapientiae disciplinam hanc separauerit*, atque cum esset φιλοσοφώτατος τὸ ἦθος h), strenue variis in locis et acriter impugnarit philosophos, qui nouo quodam instituto et a natura perquam alieno medicinam ratiociniorum lenociniis corrumpere et ad θεωρίας leges omnia referre solebant, ad naturae veritatem nihil; facile hinc confici posse censeo, libros illos in vniuersum omnes, qui eiusmodi pro arbitrio excogitatis qualitatibus aliisque nugis sunt refertissimi, ad HIPPOCRATEM nullo modo perti-

g) Praefat. ad L. I. De Medicina, p. 3. ed. *Krauf.* Nollem equidem haec sic explicari, quasi Empiricorum more HIPPOCRATES omnem reiecerit ratiocinationem. Recte enim, si quid video, *Celsus* l. cit. eum *rerum naturae sibi cognitionem vendicauisse* perhibet, et auctor praeterea, quisquis demum ille sit, L. περὶ εὐσχημοσύνης, §. 4. p. 54. T. I. ed. *Lind.* Δεῖ μετάγειν τὴν σοφίαν ἐς τὴν ἰητρικὴν, καὶ τὴν ἰητρικὴν ἐς τὴν σοφίην. Ἰητρὸς γὰρ φιλόσοφος ἰσόθεος. *Oportet sapientiam transferre ad medicinam, et medicinam ad sapientiam. Medicus enim philosophus Deo aequalis est*, in quo consentientes habet *Tullium* Tuscul. Quaest. IV. 2. et *A. Gellium* Noct. Attic. V. 15. p. 86. ed. *Aldin.* Empiricus vero reprobat omne philosophandi studium, id quod non neglexerat HIPPOCRATES multis in locis. At sophistarum genus inprimisque *Empedoclem*, aegre fert, qui in argumentorum subtilitate toti fuerant, in obseruando parum aut nihil temporis consumserant, adeoque medicinae integritatem corruperant potius, quam latius eius fines propagarant, talemque ex medicina philosophiam extorrem esse iusserat HIPPOCRATES.

h) *Gal.* Method. Medend. VIII. 3. p. 189. T. X. ed. *Chart.*

pertinere posse. Hic enim, id genus ineptiis blandimentisque ingenii neglectis, et ad sophistarum greges amandatis, caussas morborum sedula obseruatione cognoscendas indagandasque arbitrabatur. Qua de caussa valitudinis aduersae formas atque origines breuiter, vt solet, et naturae accommodate pingit, eaque vtitur orationis grauitate, vt ex tripode omnia dicta esse videantur.

SECTIO III.

De testimoniis veterum recentiorumque scriptorum, quoad hanc librorum Hippocrateorum auctoritatem.

§. XIV.

Librorum Hippocrateorum apud veteres scriptores distributio. Erotiani.

Quare etsi multi, iique longe doctissimi viri in his diuini senis monimentis ordinandis integritatique reddendis allaborarunt; tamen non superuacaneam nostram hanc operam fore putamus, modo ante, quam nostra de hoc argumento perquam arduo sententia proferatur, veterum recentiorumque scriptorum iudicia cum lectore communicarimus.

Erotianus enim, cuius aetas in *Neronis* incidit imperium, ad argumenta, quae Hippocrateis libris contineri perspexerat, animum appulit, et suo quemque loco ac ordine aut verum et inte-

grum iudicauit, aut ſuppoſitum. En ipſam diſtributionem [i]):

Ὅθεν καὶ ἐπεὶ τῶν ἀληθῶν νομιζομένων συνταγμάτων ἐστὶ μὲν ἃ σημειωτικὰ, ἃ δὲ φυσικὰ καὶ αἰτιολογικὰ, ἔνια δὲ εἰς τὸν περὶ τέχνης συντείνοντα λόγον· καὶ τῶν θεραπευτικῶν ἃ μὲν διαιτητικὰ, ἃ δὲ χειρουργούμενα καὶ πάντως μικτὰ, δίκαιον ἡγοῦμαι προϊστορήσας τὸν τῶν βιβλίων ἀριθμὸν, τηνικαῦτα ἐπὶ τὴν τῶν λέξεων ἐξάπλωσιν ἥκειν.

Vnde cum et eorum, quae germana cenſentur HIPPOCRATIS ſcripta, alia quidem ad *ſigna* pertineant, alia vero *naturalia* ſint et *cauſſas* explicent, alia ad *curationem* ſpectent, quaedam vero ad *artis rationem* pertineant, et ad curationes ſpectantium alia quidem *rationem victus* praecipiant, alia *medicam manus operam*, alia omnino *miſta* ſint; aequum arbitror, vbi librorum ipſius numerum praenarrato, ita demum ad dictionum explicationem accedere.

Σημειωτικὰ μὲν οὖν ἐστι ταῦτα.

Προγνωστικόν.

Προῤῥητικῶν πρῶτον καὶ δεύτερον, ὡς οὐκ ἔστιν Ἱπποκράτους, ἐν ἄλλοις δείξομεν.

Περὶ χυμῶν.

Ad *ſigna* igitur ſpectantes hi ſunt.

Praenotiones.

Praedictionum primum et ſecundum; at non eſſe HIPPOCRATIS *alibi oſtendemus*, id quod multis demonſtrauit *Galenus* [k]).

De Humoribus.

Cauſſa-

i) In Praefat. Gloſſ. p. 33. T. I. ed. *Chart*. Dolendum vehementer eſt, has *Erotiani* gloſſas varias iam ſubiiſſe mutationes, et in manus male ſedulas incidiſſe. Ipſe enim *Erotianus* nunquam dixit ſub voc. τρυφωδέων ἄλλως ὁ Γαληνός.

k) In III. Epid. Praefat. p. 230. T. VIIII. ed. *Chart*.

Ἀιτιολογικὰ δὲ καὶ φυσικά.	*Caussarum* autem *rationem* continentes et *naturales*.
Περὶ φυσῶν.	*De Flatibus.*
Περὶ φύσεως ἀνθρώπου.	*De Natura Hominis.*
Περὶ ἱερᾶς νόσου.	*De sacro Morbo.*
Περὶ φύσεως παιδίου.	*De Natura Pueri.*
Περὶ τόπων καὶ ὡρῶν.	*De Locis et anni temporibus.*
Θεραπευτικὰ δὲ, τῶν μὲν εἰς χειρουργίας ἀνηκόντων.	Ad *curationem* autem spectantium ii quidem, qui ad *manus operam* spectant.
Περὶ ἀγμῶν.	*De Fracturis.*
Περὶ ἄρθρων.	*De Articulis.*
Περὶ ἑλκῶν.	*De Vlceribus.*
Περὶ τραυμάτων, καὶ βελῶν, καὶ τῶν ἐν κεφαλῇ τραυμάτων.	*De Vulneribus, et telis, et de vulneribus capitis*, qui an ille sit, quem *Galenus* 1) περὶ τῶν ὀλεθρίων τραυμάτων allegat, ignorare me fateor, id vero certus scio, *Galenum* ipsum, *Hippocraticum* hunc librum censeret, nec ne, audacter non affirmasse.
Κατὰ ἰητρεῖον.	*De Officina Medica.*
Μοχλικόν.	*Vectiarius.*
Περὶ αἱμοῤῥοΐδων καὶ συρίγγων.	*De Haemorrhoidibus et Fistulis.*

 Ad

1) Comm. VI. in L. VI. Aph. 18. p. 258. T. IX. et Method. Medend. VI. 4. p. 142. T. X. ed. *Chart.*

Ἐις διαίταν.	Ad *victus rationem* pertinent.
Περὶ νούσων πρῶτον καὶ δεύτερον.	*De Morbis* I. et II.
Περὶ πτισσάνης.	*De Ptiſana.*
Περὶ τόπων τῶν κατὰ ἄνθρωπον.	*De Locis in Homine.*
Γυναικείων πρῶτον καὶ δεύτερον.	*Muliebrium* I. et II.
Περὶ τροφῆς.	*De Alimento.*
Περὶ ἀφόρων,	*De Sterilibus.*
Περὶ ὑδάτων.	*De Aquis.*
Ἐπιμικτὰ δὲ ἐςι ταῦτα.	*Mixta* vero haec ſunt.
Ἀφορισμοί.	*Aphoriſmi.*
Ἐπιδημίαι ζ΄.	*Popularium Morborum* VII.
Τῶν δὲ εἰς τὸν περὶ τέχνης τεινόντων λόγον.	Eorum autem, qui ad *artis rationem* ſpectant.
Ὅρκος.	*Iusiurandum.*
Νόμος.	*Lex.*
Περὶ τέχνης.	*De Arte.*
Περὶ ἀρχαίας ἰατρικῆς.	*De Priſca Medicina.*

Πρεσβευτικὸς γὰρ καὶ Ἐπιβώμιος φιλόπατριν μᾶλλον, ἢ ἰατρὸν ἐμφαίνουσι τὸν ἄνδρα. ὥςʼ ἐπὶ ταύταις τινὰς βεβαίως Ἱπποκράτους εἶναι λέγομεν διδασκαλίας εὐσήμου ἕνεκεν.

Oratio enim HIPPOCRATIS *legati* et *Ad Aram* patriae amantem magis, quam medicum, virum eum oſtendunt. Itaque in iſtis quoſdam certo ſcimus eſſe HIPPOCRATIS perſpicuae doctrinae gratia.

§. XV.

Galeni librorum Hippocrateorum commemoratio.

Galenus m) vero, etſi variis in locis librorum Hippocrateorum auctoritatem vendicarit, id tamen vel maxime tunc temporis egiſſe videtur, cum in numero ſuorum librorum conſtituendo verſaretur, et prae ceteris operam et ſtudium, quod in explicandis diuini ſenis monimentis olim poſuerat, commemoraret. Quare hos nominaſſe ſufficiat.

Περὶ κρισίων.	*De Iudicationibus.*
Περὶ κρισίμων ἡμέρων.	*De Diebus Iudicatoriis*, quippe in hoc labore ſe vel maxime ad HIPPOCRATIS magni auctoritatem compoſuiſſe auctor eſt.
Ἀφορισμοί.	*Aphoriſmi.*
Περὶ ἀγμῶν.	*De Fracturis.*
Περὶ ἄρθρων.	*De Articulis.*
Προγνωστικόν.	*Praenotiones.*
Περὶ διαίτης ὀξέων.	*De Victu Acutorum*, cuius partem integram commentariis illuſtrarat, reliqua neglecta aut ſaltem leuiter pertractata.
Περὶ ἑλκῶν.	*De Vlceribus.*
Περὶ τῶν ἐν κεφαλῇ τραυμάτων.	*De Vulneribus Capitis.*

Morbo-

m) De Libris Propr. c. 6. p. 44. T. I. ed. *Chart.* cf. In III. Epid. Comm. II. Praefat. p. 230. T. X.

Τῶν Ἐπιδημιῶν	α΄.	*Morborum Popularium* I.
	β΄.	II.
	γ΄.	III.
	ϛ΄.	VI.
Περὶ χυμῶν.		*De Humoribus.*
Περὶ τροφῆς.		*De Alimento.*
Κατ᾽ ἰητρεῖον.		*De Officina Medici.*
Περὶ προῤῥητικοῦ.		*De Praedictione.*
Κοακαὶ προγνώσεις.		*Coacae Praenotiones.*
Περὶ φύσεως ἀνθρώπου.		*De Natura Hominis.*
Περὶ τόπων, καὶ ἀέρων, καὶ ὑδάτων.		*De Locis, et Aëre, et Aquis;* At vero *Galeno* sic liber inscribendus videbatur, περὶ οἰκήσεων, καὶ ὑδάτων καὶ ὡρῶν, καὶ χωρῶν.

Reliquos vero, quorum passim meminit, non est, vt operosius anquiram. Suo enim quosque loco et pretio proferre in medium haud cunctabimur.

§. XVI.

Palladii explicatio.

At *Palladius* n), vbi ad ordinem, quo Hippocratei libri legendi videbantur, deuenerat, sic effatus est.

Τέταρτόν ἐστιν ἡ τάξις. δεῖ τοίνυν πρὸ παντὸς ἀναγινώσκειν τὰ καθόλου, τῶν μερικῶν. διὸ προτετάχθωσαν οἱ ἀφορισμοὶ, ὡς λεγομένων ἐν αὐτοῖς ἅμα τῶν

Quartum caput est, ordo. In primis igitur vniuersalia ante particularia legere oportet. Ideo primo ordine, collocantur *aphorismi*, quippe qui de iis, quae secundum, et

n) Comment. in L. de Fractur. ap. *Foës.* Sect. VI. p. 147. Opp. HIPP. et p. 271. T. XII. ed. *Chart.*

τε κατὰ φύσιν, καὶ τῶν παρὰ φύσιν. εἶτα δευτέραν ἀπονείμωμεν τάξιν τοῖς κατὰ φύσιν. ταῦτα γὰρ τῶν παρὰ φύσιν τιμιώτερά εἰσι. διὸ πάλιν δεῖ προλαμβάνειν τό, τε περὶ παιδίȣ φύσεως, καὶ τὸ περὶ φύσεως ἀνθρώπȣ. εἶτα τὸ περὶ χυμῶν, καὶ τότε τὰ περὶ τροφῆς. μετὰ δὲ τὰ κατὰ φύσιν, δεῖ προςάττειν τὰ παρὰ φύσιν. καὶ τότε προταχθείησαν τὰ ἔνδημα, καὶ ἐν τοῖς ἐνδήμοις τὸ προγνωστικόν. εἶτα εὐθὺς τὰ περὶ διαίτης ὀξέων. καὶ εἶθ' ȣ̔́τω τὸ προκείμενον ἀναγινώσκειν δεῖ βιβλίον. λέγω δὲ τὸ περὶ ἀγμῶν, καὶ ἄρθρων, καὶ τȣ̃το γὰρ τὸ ἔνδημόν ἐστιν, ἀλλ' ἴσως τις ἀπορήσειεν, ὅτι καὶ εἰ τῶν παρὰ φύσιν ἐστὶ, καὶ ἐνδέμων, διατὶ μὴ προετάγη τȣ̃ προγνωστικȣ̃; καὶ λέγομεν, ὅτι ἐπειδὴ ἐκεῖ ὁμοιομερῆ νοσήματα παραδιδοῖ, ἐνταῦθα δὲ, τὰ ἐν λύσει συνεχείας, τιμιώτερα δὲ, τὰ ὁμοιομερῆ τῶν ἐν λύσει συνεχείας εἰσί. πάλιν δὲ μετὰ τὸ εἰπεῖν τὰ κατὰ φύσιν, καὶ τῶν

et de iis, quae praeter naturam exiſtunt, differant: deinde ſecundum ordinem iis, quae ſunt ſecundum naturam, attribuamus. Haec enim iis, quae praeter naturam, digniora ſunt. Idcirco primo ſumendus liber *de natura pueri*, et *de natura hominis*, deinde liber *de humoribus*, et tunc, quae *de victus ratione* ſcripta ſunt. Poſt illa, quae ſunt ſecundum naturam, ea, quae praeter naturam, collocanda ſunt, tuncque *popularia* praecedant, et in iis *prognoſticum* primo legatur: deinde ſtatim ſequantur libri *de ratioue victus in acutis*, poſtea etiam ad hunc modum his propoſitus liber, videlicet *de fracturis et articulis* legendus eſt, cum ſit ex popularibus. Sed forſan dubitauerit aliquis, cum etiam quae praeter naturam ſunt, et popularia tractet, cur non praeceſſit *prognoſticum?* Rationem reddimus, quia illic ſimilares morbos, hic autem illos, qui ad ſolutionem continui pertinent, tradit; digniora autem ſunt ſimilaria iis, quae in continui ſolutione verſantur. Rurſus vero poſtquam popularia, quae

παρὰ φύσιν, τὰ ἔνδημα, δεῖ ἐλθεῖν ἡμᾶς ἐπί τε τὰ σποραδικὰ καὶ τὰ ἐπίδημα, ἀλλὰ πρῶτον δεῖ τὰ σποραδικὰ ἀναγνῶναι. διότι πρώτην τάξιν ἔχει τὸ περὶ ἀέρων, τόπων, ὑδάτων. καὶ εἶθ' οὕτω λοιπὸν τὰς ἐπιδημίας δεῖ ἀναγνῶναι.

quae ſecundum naturam, et quae contra naturam ſunt, dixerimus, nobis ad morbos diſperſos et paſſim vagantes accedendum, ſed primum ad vagantes et palantes, ſiquidem primo ordine legendus liber *de aëre, locis et aquis*. Ita deinceps ad *popularium morborum* lectionem erit deueniendum.

§. XVII.

STEPHANI *et* SUIDAE *iudicia.*

STEPHANO o) de magni HIPPOCRATIS patria diſſerenti dicitur ὁ ἐπιφανέστατος, ὁ καὶ θαυμασίας συντάξεις καταλελοιπώς; quos vero libros cum nec commemorarit vnquam, nec, vt alias ſolet, auctores attulerit, non eſt, quod in eo iuſto diutius verſemur. At *Suidas* p) denique haec de libris Hippocrateis:

Αἱ μὲν γραφεῖσαι παρ' Ἱπποκράτους βίβλοι πᾶσι τοῖς μετερχομένοις τὴν ἰατρικὴν ἐπιστήμην ἔκδηλοι — πλὴν δὲ τῶν ἐν πρώτοις καὶ ἡμεῖς ἀπομνημονεύσομεν. πρώτη μὲν οὖν βίβλος ἡ τὸν ὅρκον περιέχουσα. δευτέρα δὲ ἡ τὰς προγνώσεις ἐμφαίνουσα. τρίτη ἡ

Libri autem ab HIPPOCRATE ſcripti omnibus medicinae ſtudioſis ſunt notiſſimi — praecipuos tamen et ipſi recenſebimus. Primus igitur liber eſt ille, qui *medicum iusiurandum* continet. Secundus vero, qui *praedictiones* explicat. Tertius *aphoriſmo-*

o) De Vrbib. voc. Κῶς.
p) In Voc. Ἱπποκράτης p. 1269. T. I. ed. *Port.*

τῶν ἀφορισμῶν, ἀνθρωπίνην ὑπερβαίνουσα σύνεσιν. τετάρτην τάξιν ἐχέτω ἡ πολυθρύλλητος καὶ πολυθαύμαστος ἑξηκοντάβιβλος, ἡ πᾶσαν ἰατρικὴν ἐπιστήμην τε καὶ σοφίαν ἐμπεριέχουσα.

riſmorum, qui ſuperat ingenium humanum. Quartum locum teneat celeberrimum illud et *valde* admirabile opus, quod a LX. librorum numero ἑξηκοντάβιβλος dicitur, quod omnem ſcientiam et ſapientiam continet.

Ex his, ſi quid video, colligi poſſe videtur, *Suidae* temporibus eundem, quem nobis ſupereſſe fati iniuria voluit, librorum Hippocrateorum numerum vſu fuiſſe, et fortaſſe nonnullos varias ob cauſſas vno volumine, explicitos, id quod cum hac inſcriptione: Ἡ τὰς προγνώσεις ἐμφαίνουσα, tum etiam nomine ἑξηκοντάβιβλος videtur demonſtraſſe. Sed miſſis multis aliis, qui paſſim apud veteres huius rei meminerunt, ad recentiora progrediamur tempora, eosque viros appellemus, qui de pretio librorum Hippocrateorum ſtatuendo cogitandum exiſtimarunt.

§. XVIII.

Librorum Hippocraticorum apud recentiores diſtributio atque auctoritas, in primisque Hieronymi Mercurialis.

Patrum memoria non quidem defuere, qui de librorum Hippocrateorum auctoritate atque pretio vendicando cogitarent. Attamen prae ceteris in his ordinandis collocandiſque verſati magna cum laude deditaque opera ſunt *Ludouicus Lemoſius* q) atque *Hieronymus Mercurialis*

q) In *Iudicio Operum* HIPP. Salmantic. 1585. fol. et Venet. 1592. 8.

lis r), quorum alter quid boni maliue ſenſerit, vt definiendum mihi non ſumam, cum nec ad manus vnquam eius liber venerit, nec apud ſcriptores alios quaedam praeclara et magna praeter eius nomen reperire mihi licuerit; ita etiam alterum haud omne punctum tuliſſe conſtat inter omnes. Hos enim libros omnino omnes, qui magni HIPPOCRATIS nomine ſolent allegari, ſic exiſtimauit diuidendos, vt *aut genuinos aliquos cenſeret, eoque viuo foras datos, aut ab ipſo inchoatos quidem et paene affectos, ſed qui deinde aliorum cura in vulgus editi fuiſſent atque interpolati; aut filiorum diſcipulorumque ſtudiis ad eius doctrinae ſimilitudinem conſcriptos; aut* denique, *qui nec* HIPPOCRATIS *placitis conſentirent, neque adeo veri et integri habendi eſſent.*

Quae diſtribuendi ratio nec ſatis reſpondet dialecticorum regulis, nec librorum Hippocrateorum vim et auctoritatem ſatis demonſtrat, cum, quas ſequitur in diuidendo leges, eae multis laborent difficultatibus, atque χαρακτῆρες, quos exiſtimauit adhibendos, lubrici ſint atque omnium longe inconſtantiſſimi. Non enim poterat non *Hier. Mercurialis*, tanquam *Hippocrateo* nomine indignum, reprobare, quicquid, eo viuo, nondum in vulgus dimanarat, ceteraque omnia ab integris monimentis ſegregare, niſi ſtudio deditaque opera dialecticorum decretis vim inferre vellet. Sed haec hactenus.

§. XIX.

r) In *Cenſura et Diſpoſitione Operum* HIPP. Venet. 1583. 4. et Frft. 1585. 8. Cf. *Io. Henr. Schulzii* Compend. Hiſt. Medicin. L. II. c. 1. §. 245. p. 121.

§. XIX.

HALLERI *librorum Hippocrateorum diuiſio.*

Noſtra demum aetate accidit, vt *Hallerus*, cuius in omnem litterarum ambitum tanta tamque praeclara ſunt facinora, veterum medicorum monimenta denuo foras daret, atque *quatuor voluminibus* omnes Hippocrateos libros vellet contineri, neglectis reſectisque graecis verbis. In quo negotio ita verſatus eſt, vt primo loco collocandum putaret, quicquid multis abhinc ſeculis et omnium omnino conſenſu tanto viro dignum fuerit habitum; deinde hos ii libri excipiunt, qui HIPPOCRATE videntur longe recentiores, eiuſque repugnare placitis; denique quibus falſitatis nota ſit iure meritoque inuſta. Sed praeſtat *Hallerum* *) ipſum loquentem inducere, vt, quid hoc ex labore commodorum atque vtilitatis capiendum ſperandumque ſit, omnes intelligant.

Criticam manum non adhibui; Aliis laboribus mea tempora debui, neque ſatis profunde linguam Coi ſum meditatus, vt meo arbitrio magis crederem, quam FOESIO *aliisque editoribus. — Praefatiunculas cuique libro addidi, vt praecipuum auctoris ſcopum indicarem, et mea de ea quaeſtione cogitata aperirem, ſitne quiſque liber vere Hippocraticus. In re coniecturis obnoxia, in qua demonſtratio ſperari nequit, conſului veteres,* GALENVM *etiam potiſſimum: Deinde librum ipſum, vt videretur vel aliqua poſteriora inuenta tradere, vel ratiociniis indulgere philoſophicis, quae a medicina* HIPPOCRA-

*) In Praefat. ad T. IV. Artis Medic. Princip.

POCRATEM *separasse* CELSVS *idoneus auctor est, vel demum errores et opiniones contineret alienas ab Hippocraticis. In* primum tomum *collegi, quae ab omni tempore pro Hippocraticis habita fuissent. Et tamen etiam hic, dum haec opera sollicite lego, saepe lecta prius, noua mihi dubia sunt enata. — In* secundam classem *conieci libros, qui non videantur ipsius esse* HIPPOCRATIS, *quod vel aliena varia ab ipsius diuini senis placita tradant, vel nuperiora inuenta, vel eiusmodi demum vitia contineant, quae* HIPPOCRATES *ipse damnauerit, neque ideo videatur commisisse. — In* tertiam classem *eos conieci, qui manifesto spurii essent, siue mera fuerint aliorum operum Hippocraticorum compendia, siue in ratiociniis solis occupentur, siue indicta fuerint veteribus, siue demum magno viro indigna, quales sunt epistolae. — Eo minus vero nos sollicitos tenuerit, si limites classium non semper firmissime constituerim: Et aliquis enim hic locus est, citra quem error sit innoxius. Totum nempe* HIPPOCRATEM *medicis trado, etsi paullo aliter dispositum, quam in vulgaribus solet editionibus.*

Quae vt eo melius possint intelligi, non superuacaneam spero nostram fore operam, si, quas leges sibi obseruandas sumserit *Hallerus*, eas quasi per σκιαγραφίαν vnoque obtutu possis perspicere.

T. I. continentur legitimi HIPPOCRATIS magni libri, videnturque *Hallero* esse

1) *De Aere, aquis et locis.*
2) *De Natura Hominis.*
3) *De Locis in Homine.*

4) *De*

4) *De Humoribus.*
5) *De Alimento.*
6) *De Morbis Popularibus* I. et III.
7) *Prognosticon.*
8) *Praedictionum* II.
9) *De Victu Acutorum.*
10) *De Fracturis.*
11) *De Articulis.*
12) *Mochlicus.*
13) *De Vulneribus Capitis.*
14) *Officina Medici.*
15) *Aphorismi.*

T. II. occurrunt

1) *De Anatome.*
2) *De Principiis, aut Carnibus.*
3) *De Ossium Natura.*
4) *De Corde.*
5) *De Glandulis.*
6) *De Genitura.*
7) *De Natura Pueri.*
8) *De Septimestri Partu et Octimestri.*
9) *De Superfetatione.*
10) *De Dentitione.*
11) *Praedictionum* I.
12) *Coacae Praenotiones.*
13) *De Iudicationibus.*
14) *De Diebus Iudicatoriis.*
15) *De Morbis Popularibus* II.
IV.
V.
VI.
VII.

16) *De Affectionibus.*
17) *De Internis Affectionibus.*

T. III. eos collocandos putauit libros, qui ob ratiociniorum ſubtilitatem aliasque cauſſas Hippocrateo nomine indigni viſi ſunt, idque etiam T. IV. factum eſſe cognouimus. Sunt vero, vt *Hallero* videtur,

1) *De Morbis* I.
II.
III.
IV.
2) *De Morbis Mulierum* I.
II.
3) *De Natura Muliebri.*
4) *De Sterilibus.*
5) *De Morbis Virginum.*
6) *De Morbo Sacro.*
7) *De Inſania.*
8) *De Flatibus.*
9) *De Viſu.*

T. IV. excepit, quicquid priori volumine non continetur.

1) *De Victus Ratione* I.
II.
III.
2) *De Victus Ratione Salubri.*
3) *De Inſomniis.*
4) *De Vlceribus.*
5) *De Fiſtulis.*
6) *De Haemorrhoidibus.*

7) *De*

7) *De Veteri Medicina,*
8) *De Arte.*
9) *De Medico.*
10) *De Decenti Ornatu.*
11) *Praeceptiones.*
12) *De Lege.*
13) *De Iureiurando.*
14) *De Hominis Structura.*
15) *De Natura Hominis.*
16) *De Aetate.*
17) *De Significatione Vitae et Mortis.*
18) *De Liquidorum Vſu.*
19) *De Medicamentis Purgantibus,*
20) *De Veratri Vſu.*
21) *Antidoti.*
22) *De Exſectione Fetus.*
23) *De Re Veterinaria.*
24) *Epiſtolae.*
25) *Vita ex Sorano.*

De Vita et familia ſcriptisque Hippocraticis teſtimonia.

Fragmenta et Elogia.

Conſentientia, Contra dicta et Defenſa.

Sed haec hactenus. Reliquum eſt, vt, qua de cauſſa hunc librorum Hippocrateorum ordinem nobis approbare haud liceat, facile poſſit intelligi. Nam et argumenta, quibus ad quorundam aut auctoritatem confirmandam aut vilitatem demonſtrandam vſus eſt, haud raro tam leuia ſunt, tam lubrica, tamque pro arbitrio efformata, nihil vt

 ſupra,

ſupra, et omnem orationis Hippocrateae curam depoſuiſſe nec adhibendam duxiſſe *Hallerus* videtur. Deinde hac in editione fere nihil factum eſt, niſi vt quaedam denuo ex aduerſariis repeterentur, quae dudum *Boerhauii Methodo Studii Medici* fuerant inſinuata, peſſima *Cornarii* verſio adhiberetur, et, ſumtuum habenda ratione, cum lectore *quatuor volumina* communicarentur, eaque mutila. Denique quicquid nec HIPPOCRATIS eſſe conſtat inter omnes, huic editioni molis augendae ornatusque cauſſa, ſi Dis placet, putauit adiiciendum is, qui operarum curam habuit; *Hallerum* vero eum eſſe, quis eſt, qui hoc ſibi poſſit perſuadere? *Conſentientia* enim, *Dubia*, *Defenſa* et id genus alia hic denuo adferre in medium, magni viri non eſt, neque *Halleri* V. Cl. ſed compilatoris indocti.

§. XX.

Characteres, quibus HIPPOCRATIS *libros veros a falſis internoſci et poſſe, et debere nos cenſuimus.*

Sed miſſis horum virorum aliorumque grammaticorum laboribus (omnes enim enumerare nec temporis anguſtiae permittunt, nec ſcriptionis limites) libros HIPPOCRATIS *veros a falſis, integros a ſuppoſitis ea quidem lege optime a ſe inuicem diſtingui poſſe cenſeo, vt primo* in diiudicanda illorum auctoritate ſtatuendoque pretio *breuitatis, quam in ſcribendo diuinus ſenex ſequitur, grauitatisque* habeamus prae ceteris rationem; *deinde ad ratiociniorum paucitatem, nec non ad obſeruationum ἀσφαλείαν* animum conferamus, haud neglecta

glecta tamen *veterum scriptorum auctoritate*, quae quantum quidem hac in re valeat, vel me non monente perspicit optimus quisque.

In quibus igitur libris haec duo inprimis, etsi cetera non spernimus, contineri, nec ab iis vllo modo seiungi posse videas, eos vere Hippocraticos esse iudicato. Id vero nosse haud poenitebit, in horum librorum pretio demonstrando, ad magni alicuius viri auctoritatem me nec composuisse, nec compositurum vnquam, aut veritati hac de caussa vim illaturum, sed similiter, vt perbelle *L. Annaeus Seneca* ss): *Non me cuiquam emancipaui: Nullius nomen fero. Multum magnorum virorum iudicio credo, aliquid et meo vendico. Nam illi quoque non inuenta, sed quaerenda nobis reliquerunt, et inuenissent forsitan necessaria, nisi et superflua quaesissent. — Multum egerunt, qui ante nos fuerunt, sed non peregerunt; suspiciendi tamen sunt et ritu deorum colendi.*

CAPVT II.

De genuinis HIPPOCRATIS *magni libris, in quos breuitas grauitasque orationis atque ratiociniorum paucitas cadere videtur.*

§. I.

Praefatio.

Pensitatis omnibus iis, quorum notitia, tanquam fundamento, reliqua innituntur, allatisque iis notis, quibus veros HIPPOCRATIS magni libros

ss) Ep. 45. p. m. 126. ed. Lipf. cf. Ep. 64. p. 187.

bros a falſis et interpolatis optime ſegregari poſſe cenſeo, non poſſum non equidem confiteri, vix ac ne vix quidem tertiam eorum librorum partem, qui tam nobili ſuperbiunt nomine, ad diuinum ſenem referendam eſſe, ſed aut filiorum alicui et *Polybo* genero deberi, aut ad alienos quosdam pertinere homines, qui lucri ſtudio aurique ſacra fame compulſi ceteris imponere ſtuduerunt. Perpauci enim libri iis gaudere videntur dotibus, quibus veros a ſuppoſitis internoſci poſſe demonſtrauimus, atque *breuitatem grauitati argumentorum et ratiociniorum paucitati adiunctam* nullo modo habent, adeoque eo induci non potui, vt eos hoc diuini ſenis nomine et gloria diutius abuti paterer, ſed ad ſuppoſitorum numerum putarem amandandum, quicquid librorum hac auctoritate videbatur longe indigniſſimum.

§. II.

Genuinorum HIPPOCRATIS *librorum explicatio.*

Sunt vero genuini, vt nobis videtur, nec magnum dedecent HIPPOCRATEM,

1) Ὅρκος.	*Iusiurandum.*
2) Ἀφορισμοὶ.	*Aphoriſmi.*
3) Περὶ ἀέρων, ὑδάτων καὶ τόπων.	*De Aere, Aquis et Locis.*
4) Προγνωστικόν.	*Praenotiones.*
5) Προῤῥητικόν β'.	*Praedictionum* II.
6) Κατ' ἰητρεῖον.	*De Officina Medici.*
7) Ἐπιδημιῶν α' et γ'.	*Popularium Morborum* I. *et* III.
8) Περὶ διαίτης ὀξέων.	*De Victu Acutorum.*

De

9) Περὶ τῶν ἐν κεφαλῇ τρωμάτων. *De Vulneribus Capitis.*

10) Περὶ ἀγμῶν, *De Fracturis.*

In quos libros omnes eos cadere χαρακτῆρας, quibus Hippocratea monimenta gaudere debent integra, quis eſt, qui negare iure ſuo audeat? Sed eamus per ſingulos.

§. III.

Ὅρκος. *Iusiurandum.*

Ed. *Lind.* p. 42. T. I. ed. *Froben.* gr. p. 1. ed. *Foëſ.* p. 1. Sect. I. Ed. *Mercurial.* Sect. IV. p. 1. ed. *Chart.* p. 1. T. II. Verſ. *Cornarii* p. 3.

Habet hic liber multa antiquitatis teſtimonia. Meminerunt enim eius *Erotianus* [t]), *Theodorus Priſcianus* [u]), *Soranus Epheſius* [v]), *S. Hieronymus* [w]), *S. Gregorius Nazianzenus* [x]), cui hac de cauſſa HIPPOCRATES dicitur ὁρκιστὴς, *Suidas* [y]), multique praeterea alii. *Scribonius Largus* [z]) vero: HIPPOCRATES, *conditor noſtrae profeſſionis*, inquit, *initia diſciplinae ab iureiurando tradidit, in quo ſanctum eſt, ne praegnanti quidem medicamentum, quo conceptum excutitur, aut detur, aut demonſtretur, a*

 quoquam

t) In Praefat. Gloſſ. HIPP. p. 33. T. I. ed. *Chart.*
u) Gynaec. T. I. P. I. p. 13. ed. *Wolf.*
v) In Vita HIPP. §. 2. p. 953. T. II. ed. *Lind.*
w) Ad *Nepotian.* De Vita Clericor. Ep. II. p. 13. T. I. ed. Pariſ. 1643.
x) Orat. funebr. in *Caeſarium fratrem* XII. p. 166. ed. Colon. 1690.
y) L. cit.
z) In Ep. ad *C. Iul. Calliſtum* p. 188. Collect. *Steph.* Medicor. Princip. poſt HIPP. et *Galen.*

quoquam medico, longe praeformans animos discentium ad humanitatem.

Haud defuere tamen, qui suppositum hoc arbitrarentur iusiurandum, quorum facile princeps *Mercurialis* [a]) est, etsi illud quasi per manus traditum et ab HIPPOCRATIS magni filiis editum esse non negat, atque consentire equidem noui *Io. Henr. Schulzium* [b]). Sed recte suo iam tempore monuerunt *Io. Meibomius* [c]) atque *Foësius* [d]), nec orationis grauitatem, nec rerum argumenta magnum dedecere HIPPOCRATEM.

At vero *Galenus* huius libri non meminit. Scio, at eadem iisdem paene verbis alio [e]) loco expressit, similisque *Luciani* [f]) atque *Alexandri Tralliani* [g]) fuisse videtur ratio. Neque HIPPOCRATIS repugnat auctoritati; qui cum ex Asclepiadarum gente oriundus esset, quos ex maiorum instituto, iurisiurandi fide interposita, scimus fuisse obstrictos, homines profanos ab artis salutaris arcere mysteriis, quid tandem mirum, si ne latum quidem vnguem ab hac discedere vellet consuetudine, atque iureiurando discipulorum fidem confirmare HIPPOCRATES? Conscriptus praeterea liber est antiqua HIPPOCRATIS magni breuitate, adeoque tanto viro dignissimus. Denique

a) Praelect. Patauin. init. p. 2. ed. Bonon. 1619.
b) Hist. Medicin. Per. I. Sect. III. 4. §. 85. p. 287.
c) Comment. in Iusiurand. HIPP. c. 1. p. 8.
d) In Not. ad h. l. Sect. I. p. 31.
e) L. X. Simpl. Medic. Facult. init.
f) In Tragopodagr.
g) L. X. sub fin. p. 178. Vers. Venet.

nique eo continentur multa peregregia, iuniori medico scitu perquam necessaria, *omnem vitandam esse impudicitiam, commissa tacenda*, quippe, *Nasone* h) auctore,

Exigua est virtus praestare, silentia rebus;
At contra grauis est culpa tacenda loqui,

similiterque censuit *Agamemnon* apud *Homerum* i):

Οὐ μὲν μῦθον ἅπαντα πιφαύσκεμεν, ὅν κ' ἐῦ εἰδῇ.
Ἀλλὰ τὸ μὲν φάσθαι, τὸ δέ τοι κεκρυμμένον εἶναι.

Non temere ore loqui, quod sors sub pectore condat:
Sed quaedam effari, quaedam secreta tenere.

Porro *semper in morbis curandis rationem aegrorum esse habendam, nec danda remedia, quibus partus abigitur, aut venena mortifera* cet.

§. IV.

Ἀφορισμοί. *Aphorismi.*

Ed. *Lind.* p. 68. T. I. ed. *Frob.* gr. p. 389. adiuncta tamen est Sectio octaua septimae: ed. *Foës.* Sect. VII. p. 341. Ed. *Mercurial.* Sect. I. p. 39. Ed. *Chart.* p. 1. P. II. T. IX. Vers. *Cornar.* p. 517.

Tantam hac aphorismorum collectione sibi nominis gloriam comparauit HIPPOCRATES vt, vel ceteris omnibus temporum iniuria deperditis, hoc vnum opus eius memoriam ab obliuione

h) Arte Amand. II. v. 603.

i) Odyss. λ. Similiter ap. *Stobaeum* Serm. XXXIII. p. 213. ed. *Aurel. Allobrog.* 1609. et *Plautus* Trinum. Act. I. Scen. 2. v. 176. p. 1105. ed. *Taubmann.*

ne vendicare poſſe videatur, immo vero *Galenus* [k]) ipſe illud omnium Hippocraticorum librorum ſummam et compendium quaſi habendum eſſe putet.

Meminerunt vero huius libri multi, iique grauiſſimi auctores, *Erotianus* [l]), *Galenus* [m]), *Palladius* [mm]), et *Suidae* [n]) tandem videtur, *ἀνθρωπίνην σύνεσιν ὑπερβαίνειν.* Conſcriptus eſt ſolita HIPPOCRATIS magni breuitate, eaque argumentorum grauitate, qua integri eius libri prae ceteris gaudent, atque, mirum, quam accommodate naturae, praeſertim quae *de morbis acutis* agunt. Multa enim ſedulaque obſeruatione cuncta firmantur, nec niſi praemiſſa ſingularum obſeruationum auctoritate, placita ſolent elici, quae vulgo dicunt *ἀξιώματα.*

Dolendum tamen vehementer eſt, opus hoc peregregium omnique admiratione digniſſimum tanta cum negligentia pertractatum eſſe veteribus, ſiue id ab HIPPOCRATE ducat originem, ſiue aliis

k) In περὶ κρισίων I. 6. T. VIII. p. 383. ed. *Chart.*

l) Gloſſ. voc. ξυσμῷ. φύσαν-

m) Comm. I. in L. I. Prorrhetic. Text. 4. p. 699. T. VIII. ed. *Chart.*

mm) Comm. in L. de Fractur. ap. *Faëſ.* Sect. VI. p. 147. et ap. *Chart.* p. 271. T. XII.

n) In voc. Ἱπποκράτης. Singulorum vero aphoriſmorum meminerunt *Seneca* L. Breuit. Vit. c. 1. p. 310. *Gal.* Simpl. Medic. Facult. VI. praef. p. 143. T. XIII. ed. *Chart.* *Stephanus Athenienſis* in Explanat. *Galen* L. I. ad *Glaucon.* Sect. I. Aph. 1. p. 2. Aph. 10. 11. p. 24. Sect. II. Aph. 13. p. 81. Aph. 27. p. 79. Sect. III. Aph. 2. p. 1. Aph. 4. p. 29.

aliis debeatur, vt *Galeno* [o]) viſum eſt, vt *et vera, et falſa contineat, taedioſis lectorem fatiget repetitionibus, et repugnantiarum multitudine haud raro laboret.* Qua quidem re, ſi qua alia, HIPPOCRATIS magni aduerſarios commotos fuiſſe puto, quorum facile dux et coryphaeus eſt *Henr. Cornel. Agrippa* [p]), vt plurima diuini ſenis decreta vana iudicarent atque falſiſſima, qualis eſt, ſi hoc vnum addere fas eſt, ille aphoriſmus [q]): Γυνὴ ὀ ποδαγριᾷ, ἢν μὴ τὰ καταμήνια αὐτέῃ ἐκλίπῃ. *Mulier non laborat podagra, niſi menſes ipſi defecerint.* Ad vero id temporum luxuriae tribuendum eſſe morumque corruptionibus, non HIPPOCRATIS vitio, ſuo iam tempore monuit *L. Annaeus Seneca* [r]), aut etiam varia regionum conditio aerisque viciſſitudines, victus exercitiorumque diſſimilitudo cet. attendantur neceſſe eſt, vt bene litteris conſignatum reliquit *Cl. Salmaſius* [s]). *Falluntur non raro*, inquit, *medici noſtrates, dum omnia ſcita* HIPPOCRATIS *examuſſim conuenire cenſent medicinae ac curationi, quae corporibus noſtri caeli*

o) Sic videtur innuiſſe Comm. VII. ad L. VII. Aph. 53. p. 322. P. II. T. IX. ed. *Chart.* ſimiliterque alio loco: Ἡμάρτηται φανερῶς ὁ ἀφορισμὸς, ἤτοιγε αὐτȣ̃ τȣ̃ Ἱπποκράτȣς παραδιδόντος ὅλȣ τȣ̃ λόγȣ τὸ ἥμισυ μέρος, ἢ τȣ̃ πρώτȣ βιβλιογράφȣ παραλιπόντος. *Certiſſime in hoc aph. erratum eſt, ſiue quod ipſe* HIPPOCRATES *neglexerit alteram integrae ſententiae partem adiicere, ſiue qui primus librum deſcripſit, eam praetermiſerit.*

p) De Vanit. Scient. c. 82.

q) Aph. 29. Sect. VI. p. 100. T. I. ed. *Lind.*

r) Ep. 95. p. m. 409. ed. *Lipſ.*

s) In *Interpretat.* HIPP. *Aph.* LXXIX. Sect. IV. *de calculo* p. 172.

caeli conuenit, et quam natura noſtrorum hominum exigit. Quis exactam tertianam medicus hic in aegris ſuis animaduertit? Omnes ſunt ſpuriae, non ἀκριβεῖς, quia cum pituita ſunt complicatae, non ex pura bile conſtant. Nec mirum ergo, ſi non quadrent διαγνωςικὰ et κριτικὰ ſigna tertianae Hippocrateae cum noſtris, quia nullas habemus fere tertianas legitimas.

Quae vero aduerſus *dies iudicatorios* multi in medium putarunt proferenda, nihili facere ſoleo. Conſentiunt enim naturae, confirmatique *Galeni* t), *Clerici* u), *Swietenii* v), *Haenii* w) auctoritate ſunt. Quare ſi qui ſint, (eſſe autem ſcio permultos) qui hanc veterum de iudicandis certo ſtatoque die morbis doctrinam rideant, ii nec eorum naturam rite perſpicere, nec curſus perpetuos vnquam aut obſeruaſſe, aut obſeruare voluiſſe videntur. Neque eſt, quod ipſe ſibi HIPPOCRATES repugnaſſe perhibeatur, cum *et paribus diebus et imparibus* hunc honorem deferat, partim quod multae hac in re difficultates ſcribarum debentur incuriae,

t) Dier. Critic. I. 2. ſequ. p. 452. T. VIII. ed. *Chart.* Hic enim hac de cauſa libros hos conſcripſiſſe videtur, vt HIPPOCRATIS auctoritatem ab aduerſariorum iniuriis vendicaret. Cf. In L. Prognoſtic. III. I. p. 661. T. VIII. vbi primus dicitur HIPPOCRATES, qui hanc dierum iudicatoriorum naturam intelligeret.

u) Hiſt. de Medec. P. I. L. III. 5. p. 143. ſequ.

v) Comment. in BOERH. Aph. p. 51. ſequ. et p. 464. ſequ. T. II. ed. *Hildburgh.*

w) Rat. Medend. P. I. c. 4. p. 38. ſequ. vbi multa hac de re dicta ſunt commemoratu digniſſima, ſed ob argumentorum breuitatem, quod vehementer doleo, adeundus ſimul eſt *Swietenius* l. c.

curiae, qui literarum decepti ſimilitudine vietorumque exemplorum vitio confirmati litteram litterae ſurrogare haud veriti ſunt, partim quod vel maxime ſe ad naturae inueſtigationem contulit HIPPOCRATES, et *dies iudicatorios bonos, eosque ſolitos a minus ſuetis et raris* bene diſtinguendos cenſuit, id quod experientia, optima rerum magiſtra, edocti certo ſcimus fieri. Recte hinc, *Galeno* x) iudice, Hippocrateae *κρίσεις non ſemper verae κρίσεις ſunt, ſed λύσεις*, idque in iis libris, qui in *popularibus morbis* verſantur, praeſertim in *primo* et *tertio*, haud negligendum videtur.

Ad *Sectiones* quod attinet, quibus hodie a ſe inuicem diſtinguuntur aphoriſmi, quaſique ordinantur, eae HIPPOCRATIS magni auctoritati nullo modo in acceptis ferendae ſunt. *Soranus* enim, quantum ex *Oribaſio* y) licuit colligere, hos

x) Dier. Iudicator. II. 4. et 6. p. 482. T. VIII.

y) In Praefat. Comment. in Aph. HIPP. p. 10. Dubito tamen vehementer, hunc in aphoriſmos Hippocrateos commentarium ab ORIBASIO fuiſſe profectum. Primum enim nulla habita fuit temporum ratio, cum *Ptolomaei Euergetis* iuſſu conſcriptus perhibeatur, p. cit. et nihilo tamen ſecius *Iuliani* Imp. aetate vixerit ORIBASIVS. Deinde multorum opera commemorantur, qui poſt *Ptolomaei* tempora ſcripſerunt, *Terentii* Comoediae, *Virgilii* fabulae p. 81 *Ouidii* verſus

Timor addidit alas, p. 79.

Galeni, *Pelopis*, *Lyci* ſcripta, Praefat. p. 8. Tandem *moris leuitici* apud veteres p. 236. meminit, ſacrosque libros p. 81. inter aegrotandum legi iubet. Quare in eam ingredior ſententiam, a recentiore quodam homine, religionis chriſtianae myſteriis initiato, fuiſſe hanc ſcriptionem conflatam, adſumto nobili ORIBASII nomine, ſed auctorem bene ſimulandi artem haud calluiſſe.

Quam

hos aphorismos in *tres partes* censuit distribuendos, *Rufus* in *quatuor*, et *Galenus* [z]) tandem in *septem*, *octaua sectione in suppositorum numero habita*, etsi multos ex genuinis aphorismis adiectos et intellexerat, et editiones nostrae incredibile, quantum a se dissentiunt. Hanc *Galeni* distributionem hodie plerique sequi solent, qui tamen *quartam sectionem*, si quam aliam, dolo malo inter Hippocratea monimenta locum occupare contenderat, idque, vt mihi videtur, ea de caussa, quod nimia sit in remediorum purgantium vsu, adeoque doctrinae repugnet Hippocrateae. *Denique* aphorismos VI. Sect. VIII. *Lind.* et Aph. LXXXVIII. Sect. VII. omiserat *Galenus*, hincque multis censentur suppositi; id quod etiam de nonnullis [a]) praeterea aliis videtur intelligendum. Varii varios

Quam enim iis, quae ad probandam meam sententiam attuli, sese dederit turpiter, quis est, qui non videat? Vidit autem optime *Freindius* Hist. Medec. P. I. p. 143. sequ. cf. *Io. Meibom* Comm. in Iusiur. HIPP. c. I. p. 10. a quo tamen, hisce de caussis non possumus non dissentire.

z) Comm. VII. in L. VII. Aph. 79. p. 337. P. II. T. IX. ed. *Chart.*

a) V. C. Aph. 46. Sect. VII. vt *Galen.* ad h. aph. p. 370. Similiter Aph. 36. L. VI. p. 271. P. II. T. IX. ed. *Chart.* Aph. 31. Sect. VI. *Gal.* Method. Medend. III. 2. p. 58. T. X. Aph. 68. Sect. VII. *Gal.* Comm. ad h. l. p. 331. P. II. T. IX. reiicit, cum nec λέξις, nec placita cum Hippocrateis consentiant. Similiter fecit *Lycus Macedo* aduersus Aph. XIV. Sect. I. atque *Oribasius* Comment. in Aph. HIPP. p. 212. id etiam multis de Sectione VI. visum fuisse perhibet. Patrum vero memoria *librum septimum* reiiciendum putauit *Hieronymus Mercurialis* Praelect. Patauin. Sect. VII. p. 713. et maximam partem consarcinatoribus attribuit. De Sectione VIII. nullus dubitat.

-ios in hanc aphorismorum collectionem scripserunt commentarios, quorum singulos laudare haud videtur operae pretium, commemorandus tamen prae ceteris est *Cl. Salmasius* [b]), qui Aph. 79. Sect. IV. explicuit; qua in re quam bene se gesserit, alii iudicent.

§. V.

Περὶ ἀέρων, ὑδάτων καὶ τόπων. *De Aëre, Aquis et locis.*

Ed. *Lind.* p. 327. Tom. I. ed. *Frob.* gr. p. 75., sed ab *) differt multum a Lindeniana, id quod lectores incautos facile turbare possit, nec qua de caussa id fecerit *Lindenius*, video; qui vero quaedam ex L. περὶ τῶν ἐν κεφαλῇ τρωμάτων p. 451. ed. *Froben.* sumsit, et huic loco putauit insinuanda. Ed. *Mercurial.* Sect. I. p. 16. Ed. *Foës.* p. 63. Sect. III. Ed. *Chart.* p. 187. T. VI. Vers. *Cornar.* p. 104.

Meminerunt huius libri *Erotianus* [c]), qui eam inscripsit περὶ τόπων καὶ ὡρῶν, *Galenus* [d]) περὶ ἀέρων, ὑδάτων, τόπων, οἰκήσεων, ὡρῶν καὶ χωρῶν, *Palladius* [dd]), *Athenaeus* [e]) περὶ ὑδάτων καὶ τόπων, alii περὶ ἀέρων, τόπων, ὑδάτων, καιρῶν, ἀνέμων, ἀστέρων, ex fide codicum alii denique περὶ ὡρέων, ἀέρων, ὑδάτων, τόπων, inscribunt. Huc etiam pertinent *Aristophanis*

b) In Interpret. Aph. huius ad *Cl. Beuerouicium.*

c) Gloss. sub voc. ὁμιλίη.

d) De Propriis Libris c. 6. p. 44. T. I. ed. *Chart.* In III. Epid. Comm. II. Praef. p. 230. T. X. et Gloss. sub voc. στρίφεται. L. ad *Thrasybul.* c. 39. p. 34. T. VII. ed. *Chart.* L. *quod animi mores* cet. c. 8. p. 454. T. V. ed. *Chart.*

dd) Commment. in L. de Fractur. ap. *Foës.* p. 147. Sect. VI. *Opp.* HIPP. p. 271. T. XII. ed. *Chart.*

e) Deipnos. II. 7. p. 46. ed. *Casaub.*

phanis ſcholiaſta apud *Suidam* f), multique praeterea alii, quos adſerre ſingulos prohibent temporis anguſtiae. Noſtra demum aetate accidit, vt *Hallerus* ff) de eius auctoritate ſubdubitaret, eumque Europaeo potius cuidam homini, quam HIPPOCRATI adſignandum exiſtimaret. Sed, vt mihi quidem videtur, iniuria.

Hoc in libro haud deſideres breuitatem orationis argumentorumque grauitatem, quibus potiſſimum a ſuppoſitis ſegregantur monimenta vere Hippocratica, redundatque ille rerum haud ſpernendarum copia, *varias capitis formas ex gentium moribus repetendas cenſet* HIPPOCRATES, *feminarum meatum vrinarium eſſe breuiorem demonſtrat, et, mirum, quanta cum accuratione atque perſpicacia docet, quid morborum origines debeant tempeſtatum iniuriis, quantum et regionum et ventorum viciſſitudines, nec non varia aquarum conditio valeant, denique victus ratio quantum ad cauſſas valitudinis aduerſae inueſtigandas conferat, immo vero morum conformationem hac in re attendendam eſſe iuſſerit*, id qnod ſimiliter apud *Clementem Alexandrinum* g) expreſſit *Euripides:*

Ὅσοι δ' ἰατρεύειν καλῶς,
Πρὸς τὰς διαίτας τῶν ἐνοικȣ́ντων πόλιν,
Τὴν γῆν ἰδόντας, τὰς νόσȣς σκοπεῖν χρεών.

Qui volunt mederier,
Vt vnaquaeque poſcit vrbs et incolae,
Hos terram oportet noſſe; ſic morbo manus
Demum admouere.

Atta-

f) Sub voc. Ἀριστοφάνης.
ff) Princip. Art. Medic. Praefat. ad T. IV. p. 6.
g) Strom. VI. p. 452. ed. Lugd. Bat. 1616.

Attamen negari non poteſt, quaedam aut commentitia in textum dolo malo videri illata, *abortiones fieri, ſi ver ſiccum hiemem pluuiam excipiat; ventris profluuium, quod δυσεντερίαν dicunt, eſſe veris pediſſequam* cet. aut iudicii acumen feſellerunt, cum qui non quandoque offendat, nusquam incurrat, ſciam neminem; aut tandem ad Graeciam potius, quam aliam quamcunque regionem pertinere videntur. Ipſe enim HIPPOCRATES, quantus quantus eſt, Europam ab Aſia longiſſime differre auctor eſt. Quod ſi verum eſt, minus recte ii mihi in explicandis Hippocrateis monimentis verſari videntur, qui quicquid noſtris terris haud ſatis accommodatum eſt, putent falſiſſimum. Denique HIPPOCRATES hoc in libro ſe profitetur *ab omni ſuperſtitionis labe alieniſſimum, Scytharumque morbum popularem* (*θήλειαν νόσον*) *non a deo quodam*, vt vulgo exiſtimabatur, et memoriae prodidit *Herodotus* [h]), *ſed a vitae genere aliisque id genus cauſſis repetendum cenſet.*

Reliquum eſt, vt id vnum adiiciamus. Optandum videtur, vt plures noſtrae aetatis medici his diuini ſenis inſiſtant veſtigiis, eiusque exemplo compulſi praeſtantiora de hoc argumento perneceſſario et arduo nobiscum communicent. Sed, proh dolor! hoc obſeruandi ſtudium, taedioſum ſane illud multisque obſeſſum difficultatibus, adhuc intactum prorſus et neglectum relinquitur.

h) In Clio, p. 28. ed. gr. et p. 20. Verſ. ed. *Steph.* ſ. *Mercurial.* Var. Lect. III. 7. p. 64.

§. VI.

Προγνωστικόν. *Praenotiones.*

Ed. *Lind.* p. 447. T. I. Ed. *Froben.* gr. p. 401. Ed. *Mercurial.* Sect. I. p. 73. ed. *Foës.* p. 3. Sect. II. ed. *Chart.* p. 583. T. VIII. Verf. *Cornar.* p. 533.

Admirabilis eſt huius libri praeſtantia, cuius paſſim facta eſt mentio apud *Erotianum* i), *Caelium Aurelianum* k), *Galenum* l), *Aëtium* m), *Palladium* mm), *Macrobium* n), *Paullum* o), *Stephanum Athenienſem* p), vt multos alios praeteream ſilentio, eumque non potuerunt non *Foëſius* q) atque *Hallerus* qq) cenſere genuinum. Nam ſi qua in re alia, in hac certe ſatis ſuperque demonſtravit HIPPOCRATES, quanta in praeſagiendis morborum euentis vi gaudeat, quantamque ſit obſeruando conſecutus ſcientiam, adeo, vt legislatoris grauitate omnia omnino longe certiſſima eſſe

i) Praefat. Gloſſ. HIPP. p. 33. T. I. ed. *Chart.*

k) Morb. Diuturn. IV. 8. p. 536. ed. Amſtel.

l) L. Placit. *Platon.* et HIPP. IX. 2. p. 250. T. V. edit. *Chart.* L. Vtil. Reſpirat. c. 3. p. 418. T. V. de Marcore c. 2. p. 179. T. VII. L. Difficult. Reſ. I. 23. p. 243. T. VII. L. De indication. I. 5. p. 383. T. VIII. At in III. Epid. Comm. I. 5. p. 211. T. IX. ἐν τοῖς ὁμολογουμένοις Ἱπποκράτους γνησίοις collocatur.

m) Tetrabibl. II. Serm. I. c. 1. p. 190. Coll. *Steph.*

mm) Comment. in L. de Artic. ap. *Foëſ.* p. 147. Sect. VI. et p. 271. T. XII. ed. *Chart.*

n) Saturnal. I. 20. p. m. 271. vbi locus quidam, ex h. l. primordio adducitur.

o) L. II. 4. ſequ. p. 378. Coll. *Steph.*

p) In Explanat. *Gal.* L. I. ad *Glaucon.* p. 5. et 11.

q) In Not. ad h. l. Sect. II. p. 28.

qq) Art. Medicae Princip. p. 166. T. I.

esse iusserit, qua in re *Celsum* [r]), *Galenum* [s]), *Actuarium* [t]) verosque medicos semper habuit habebitque consentientes.

Tantum tamen abest, vt eius placita tam certa velim, vt immutabilem sempiternamque veritatem contineant, vt potius multa cruda singularibusque innixa esse obseruationibus facile largiar, quas temporis praeclusus angustiis nondum in ordinem rite potuerat HIPPOCRATES redigere. Sed quicquid eis insit manci atque mutili, recte nihilominus, comico iudice,

Istuc est sapere, non quod ante pedes modo est,
Videre, sed etiam illa, quae futura sunt,
Prospicere,

adeoque bene, vt omnia, *Plato* [u]) de medico: Ἂν ὁ θεραπευόμενος ὑπ᾽ αὐτοῦ ἀκόντος τελευτᾷ, καθαρὸς ἔστω κατὰ νόμον. *Si is, cuius curam habet medicus, moriatur ipso inuito, purus secundum legem esto.* Similis apud *Diodorum Siculum* [v]), sententia *Bocchoris*, antiquissimi Aegyptiorum legislatoris, fuisse perhibetur. *Nulla enim regula*, inquit *Cl. Salmasius* [w]), *tam generalis est, quin exceptione aliqua infirmetur. Nulla autem in medicina signa sunt, siue illa* προγνωστικὰ *sint, siue* διαγνωστικὰ, *siue* κριτικὰ, *quae tam certa videri queant, vt* nun-

r) De Medicina L. II. Praefat. p. 41. ed. *Kraus.*
s) L. De Praecognit. ad *Postum.* c. 1. p. 830. T. VIII. et in L. III. Epid. I. 8. p. 217. T. IX. ed. *Chart.*
t) Praeuident. ex Vrin. II. p. 127. Coll. *Steph.*
u) De Legib. IX.
v) L. I. 862.
w) In Interpret HIPP. Aph. 79. Sect. IV. p. 176.

nunquam fallant. — Satis esse debet, si vt plurimum regula vera sit.

Miro conscriptus liber est ordine, et prouti pars corporis alia aliam excipit, ita etiam longius in explicando HIPPOCRATES progreditur, omni verborum adhibita grauitate, qualem a legislatore adhiberi fas erat, nec vllo fere, praeter pulsum, cuius raro fit in monimentis Hippocrateis mentio, signorum neglecto aut posthabito. Et quid tandem de illa iudicabimus HIPPOCRATEA *in praesagiendo ἀσφαλείᾳ, qua ne in Scythia quidem, Lybia et Delo haec morborum signa euentu fallere certus adfirmat?* Non enim poterat non id certo pronunciare diuinus senex, cum nec naturae vnquam repugnaret temere agendo, nec peruerso medicamentorum vsu aliquid contra moliretur, id quod aetatis nostrae medici faciunt saepenumero, qui omnia intempestiue praeuertunt, eaque festinatione aegros iugulant: hinc scite apud *Euripidem* x) *Silenus*:

Οὐδεὶς γὰρ μολὼν δεῦρ' ὅστις οὐ κατεσφάγη.
Nemo huc venit, qui non mactatus sit.

Et quid mirum, si hac scientiae praestantia commoti vel maxime HIPPOCRATIS aduersarii commentarios in hunc librum scripserint, quale quid *Herophilum* olim fecisse *Caelius Aurelianus* y) et *Galenus* z) memoriae prodiderunt, etsi, si dicen-

x) In Cyclop. Act. I. v. 128. p. 438. P. II. ed. Paull. *Steph.* 1002.
y) Morb. Diuturn. IV. 8. p. 536. ed. Amstel.
z) In L. Prognostic. Comm. I. 4. p. 588. T. VIII. ed. *Chart.*

cendum, quod res eſt, ob *pulſus* [a]) *neglectum* potius, quam argumentorum praeſtantia ductus HIPPOCRATEM monere auſus ſit? Μόνην γὰρ τὴν περὶ τὺς σφυγμὺς θεωρίαν [b]) Ἱπποκράτης ὐκ ἐξειργήσατο. *Solam pulſuum ſcientiam* HIPPOCRATES *non explicuit.* At vero HIPPOCRATEM hac ſcientia medico perneceſſaria nec deſtitutum fuiſſe, nec penitus eam poſthabuiſſe, multis, ſi per temporis anguſtias et argumenti dignitatem liceret, probabiliter demonſtrari potuiſſet. Quare ſi cuius haec ſcire interſit, adeat, quaeſo, *Haenium* [c]).

Continentur hoc libro multa decreta, praeclara illa quidem et omni exceptione maiora, ſed liceat *huius* prae ceteris *praeſagii* [d]) *veritatem* experientiae confirmare teſtimoniis. Ὅσοι ἐν τοιὺτοτρόπῳ πυρετῷ κεφαλὴν ἀλγέυσιν, ἀντὶ μὲν τῦ ὀρφνῶδές τι πρὸ τῶν ὀφθαλμῶν φαίνεσθαι, ἀμβλυοσμὸς γίνεται, ἢ μαρμαρυγαὶ προφαίνονται· ἀντὶ δὲ τῦ καρδιώσσειν, ἐν τῷ ὑποχονδρίῳ ἐπὶ δεξιὰ ἢ ἐπ᾽ ἀριϛερὰ ξυντείνεταί τι, μήτε ξὺν ὀδύνῃ, μήτε ξὺν φλεγμονῇ, αἷμα διὰ τῶν ῥινῶν τὺτοισι ῥυῆται προσδόκιμον ἀντὶ τῦ ἐμετῦ, μᾶλλον δὲ καὶ ἐνταῦθα τοῖσι νέοισι

a) *Plin.* Hiſt. Nat. XXIX. p. 249. T. III. ed. Lugd. cf. *Cenſorin.* Dies Natal. c. 12. p. 76. ed. *Lindenbrog.*

b) L. de Praecognit. ad *Poſtum.* c. 12. p. 850. T. VIII. ed. *Chart.* et L. *Quod animi mores* cet. c. 8. p. 454. T. V. expreſſe dicitur HIPPOCRATES huic doctrinae viam praemuniiſſe.

c) Rat. Medend. P. XII. 1. p. 1. ſequ.

d) Prognoſtic. §. 25. p. 469. T. I. ed. *Lind.* et ſimile quid occurrit in L. Praedict. II. §. 41. p. 518. T. I. ed. cit.

τῦ αἵματος τὴν ῥῆξιν προσδέχεσθαι. *Quibuscunque in huiusmodi febre caput dolentibus pro eo, quod obſcurum quiddam prae oculis appareat, viſus hebetudo contingit, aut ſplendores ob oculos obuerſantur, et pro oſculi ventris morſu in praecordiorum dextra aut ſiniſtra parte aliquid tenditur, neque cum dolore, neque cum inflammatione, ſanguinem de naribus his pro vomitu fluxurum eſſe exſpectandum eſt. Magis tamen et hic in iuuenibus ſanguinis eruptionem exſpectare oportet.*

Femina igitur lectiſſima, A. R. W. XLVIII. annos nata, quae multo abhinc tempore ex vteri ſtrangulatione miraque neruorum debilitate laborarat, incidit cum ſubita menſtrui fluxus defectione in dolorem oris ſtomachi atque inteſtinorum vehementiſſimum; Aluus nihil reddidit; ac ne ſpiritum quidem, ex quo venter dureſcebat, et dolor erat, transmiſit: reiecta vero cuncta ſunt vomitu, qui non, niſi remediis leniſſimis ac oleoſis, parcoque laudani puri vſu deceſſit, alui prius ſegnitie lotionibus ſublata. Huic feminae die ſeptimo mare vndoſum obuerſatur oculis, florum candidiſſimorum pulcritudine, mirum, quantum delectans, tantoque luminis ſplendore coruſcans, vt prae gaudio hoc viſum ſaepius ſibi optaret accidere, et a meridie, mirabile dictu! hora ſecunda, crudeli praecordiorum inflatione ſe remittente, liberata a morbo eſt ſanguinis menſtrui profuſione. O diuinum HIPPOCRATIS ingenium! Tantum enim tamque praeclarum ducem in arte ſequi poenitebit, puto, neminem.

§. VII.

§. VII.

Προῤῥητικόν β'. *Praedictionum II.*

Ed. *Lind.* p. 487. T. I. Ed. *Froben.* gr. p. 413. Ed. *Mercurial.* Sect. III. p. 443. Ed. *Foës.* Sect. II. p. 63. Ed. *Chart.* p. 809. T. VIII. Verf. *Cornar.* p. 549.

Libri huius paſſim facta eſt apud veteres mentio, ſed tantum non omnes eum, tanquam HIPPOCRATIS magni nomine indigniſſimum, exiſtimarunt reiiciendum. *Erotianus* e) enim vtrumque hunc librum ab monimentis his exemit, ſimiliterque *Galenus* f), qui: Ἐκ πολλῶν ἂν ὑπονοήσαιεν ἄν τις, inquit, οὐκ εἶναι τοῦ Ἱπποκράτους σύγγραμμα τὸ βίβλιον τοῦτο· πολυλογεῖ γὰρ ἐμπειρικῶς αὐτὸ συνθεὶς, μὴ δυνάμενος εἰς τὸ καθόλου λογικῶς ἀναγαγεῖν τὰ θεωρήματα. *Ex multis igitur opus Hippocraticum hunc librum non eſſe quis exiſtimauerit; multa ſiquidem loquitur, quae empirice compoſuit, nec theoremata ad vniuerſale rationabiliter reducere valens.* Et iterum g): Τὸ πολλάκις ἤδη καὶ πρόσθεν εἰρημένον ἐρῶ καὶ νῦν· ὁ συνθεὶς τὸ βίβλιον τοῦτο φαίνεται μὲν ἀπὸ τῆς αὐτῆς ὢν Ἱπποκράτει τῷ μεγάλῳ τέχνης· ἀπολείπεται δ' αὐτοῦ πάμπολλα, καὶ διὰ τοῦτο ἐνίοις μὲν ἔδοξε τοῦ Δράκοντος Ἱπποκράτους, ἐνίοις δὲ τοῦ Θεσσάλου τὸ σύγγραμμα τοῦτο εἶναι. — εἴτ' οὖν ὑπὸ θατέρου τούτων, εἴτε καὶ ὑπ'

e) In Gloſſ. Praefat. p. 33. T. I. ed. *Chart.*

f) In L. I. Praediction. Comm. I. 15. p. 711. T. VIII. edit. *Chart.* At vero eius ſaepe meminit, in Gloſſ. ſub voc. ἀμβλυωσμὸς *maioris praedictiui*, et ſub voc. βδέλλω ſimul addidit, eum, a nonnullis *ſecundum* inſcribi.

g) In cit. l. Comm. II. 52. p. 736. Tom. VIII. ed. *Chart.*

ὑπ' ἄλλε τινὸς ἐγράφη τὸ βίβλιον, εἴτ' ἔφθασεν ὁ γράψας αὐτὸ, πρὶν ἐκδεναι τοῖς ἕλλησιν, ἀποθανεῖν, περιτ]όν ἐςιν ἔργον τητεῖν. *Quod ſaepius iam et ante dictum eſt, dicam et nunc. Qui librum hunc compoſuit, videtur quidem eiusdem cum magno* HIPPOCRATE *artis eſſe, ſed ipſe longe inferior eſt, atque ob id quidam librum Draconis* HIPPOCRATIS, *alii Theſſali eſſe putauerunt. — Siue igitur ab horum altero, ſiue ab alio quodam ſcriptus ſit liber, ſiue qui ſcripſit, prius, quam graecis publicaret, obierit, perueſtigare ſuperuacuum videtur.* Horum virorum veſtigia preſſe ſecutus *Foëſius* h) eum ob argumenti leuitatem orationisque diſſimilitudinem procul ab Hippocrateis monimentis abeſſe iuſſit.

Sed cum aliter ſenſit *Hallerus* hh) ob *grauitatem, modeſtiam, methodum et continuam obſeruationum ſeriem*, tum proloquii ratio ſic comparata eſt, vt vel oſcitanter hunc librum verſanti appareat, eum cum priori huius nominis cohaerere nullo modo poſſe, et quicquid contra dicant hi viri clariſſimi, HIPPOCRATI magno in acceptis ferendum eſſe. Vt enim ſeſe argumentorum vtilitate atque praeſtantia commendat incredibiliter, ita etiam orationis Hippocrateae grauitatem prorſus exprimit, ſedulaque morborum obſeruatione tanto viro videtur digniſſimus. Deinde *praeſagia, ſigna et euenta* tam admirabilia ſunt, vt, ſi quis diuini ſenis placitis imbutus ad naturae ſe contulerit

h) Praefat. ad h. l. Sect. II. p. 43.

hh) Art. Medicae Princip. p. 193. T. I.

lerit inueſtigationem, non poſſit non hunc librum ſummis efferre laudibus. Quid enim magni HIPPOCRATIS auctoritate dignius, quid accommodatius, quam quod *in praeſagiendis morborum euentis cautius verſandum eſſe iubeat, ne, ſi quid acciderit, conuiciis aliorum et riſui exponaris?* *Leges* denique, quas hac in re tam ardua obſeruandas velit, ab aliorum medicorum placitis, inprimis *Herodici* i), incredibile, quantum diſſentiunt, et ad omnium omnino praeſagiorum naturam pertinent, nec a ſingulis ad vniuerſa progredi licere medico auctor eſt HIPPOCRATES.

§. VIII.

Κατ' ἰητρεῖον. *Officina Medici.*

Ed. *Lind.* p. 614. T. I. Ed. *Froben.* gr. p. 502. Ed. *Mercurial.* Sect. II. p. 335. Ed. *Foëſ.* Sect. VI. p. 5. Ed. *Chart.* p. I. T. XII. Verſ. *Cornar.* p. 598.

Meminerunt huius libri *Erotianus* k), *Galenus* l), *Palladius* m), etſi multi n) cum de nomine

i) Hic *Herodicus* ſe ex ſophiſta callido derepente finxerat medicum, et nouae, eiusque ſuauioris medicinae gloria haud veritus erat multis imponere. Eum igitur §. I. et II. h. l. p. 487. T. I. ed. *Lind.* videtur carpere fraudesque eius detegere.

k) Gloſſ. ſub voc. σπληνὸς κατ' ἶξιν, atque in Praefat. p. 33. T. I. ed. *Chart.*

l) Sanitat. Tuend. II. 3. p. 71. T. VI. ed. *Chart.* Comm. in h. l. I. 5. p. 14. T. XII. In L. I. Aph. 1. Comm. I. p. 3. P. II. T. IX. et in VI. Epid. Comm. IV. 9. p. 485. T. cit. Placit. *Platon.* et HIPP. X. 3. p. 255. T. V.

m) Comment. in L. de Fractur. ap. *Foëſ.* Sect. VI. p. 147. opp. HIPP. et p. 271. T. XII. ed. *Chart.*

n) *Galen.* in I. Epid. Comm. I. 17. p. 22. T. IX. ed. *Chart.* verius inſcribi putat κατ' ἰητρεῖον per ε et η; alterum ſignificat

ne et inſcriptione diſceptarunt, tum de eius pretio atque auctoritate [o]), quorum in numero poſt veteres etiam eſt *Io. Henr. Schulzius* [p]). Sed tam bene hic liber conſcriptus eſt tantoque cum ſtudio, vt vere tibi HIPPOCRATEM obſeruatorem coram audire naturamque coram intueri videaris, id quod multis docuit *Foëſius* [pp]). Orationis forma breuis eſt facilisque intellectu, argumentorumque praeter haec ſeruata grauitas. Haud enim deſideres praeceptorum laudabilium multitudinem, ne omiſſis quidem minutiis, ſi quae ſint, atque in eo vel maxime verſari videtur HIPPOCRATES, vt, *quid et qua ratione efficiendae ſint operae, chirurgum edoceat.* Neque hanc accurationem Hippocrateae breuitati repugnare cenſeo, cum etiam, auctore *Galeno* [q]), didicerit, conſuetam orationis formam negligere, verboſiorque ob periculi diſcrimen fieri.

§. IX.

ficat τὰ κατὰ τὸ ἰητρεῖον πρατ]όμενα, alterum τὰ κατὰ τὴν ἰατρικὴν ὕλην. *Palladius* vero l. cit. hic auctores valde a ſe inuicem diſſentire perhibet, et modo coniunctum velle hunc librum cum L. περὶ ἀγμῶν, modo ſeorſum in vulgus editum.

o) *Galen.* Comm. II. in h. l. 26. p. 62. T. XII. ed. *Chart.* negat hunc librum, aut ab HIPPOCRATE magno, aut eius filiis πρὸς ἔκδοσιν fuiſſe deſtinatum: Deinde Comm. III. 2. p. 74. eum iam olim libro περὶ ἀγμῶν adiunctum eſſe memoriae prodidit; Denique Comm. III. 28. p. 96. poſt HIPPOCRRATIS diſceſſum foras datum, eumque imperfectum.

p) Hiſt. Medicin. Per. I. Sect. III. c. 4. §. 65. p. 283.

pp) In Not. ad h. l. p. 5. Sect. VI.

q) In L. V. Aph. 64. p. 239. P. II. T. IX. et L. περὶ προγινώσκειν ad *Poſtum.* c. 4. p. 836. T. VIII. ed. *Chart.*

§. IX.

Ἐπιδημιῶν α' et γ'. *Morborum Popularium I. et III.*

Ed. *Lind.* p. 653. sequ. T. I. Ed. *Froben.* gr. I. p. 301. et III. p. 319. Ed. *Mercurial.* I. Sect. I. p. 87. III. p. 121. Ed. *Foës.* I. p. 11. Sect. VII. et III. p. 143. Ed. *Chart.* I. p. 1. T. IX. et III. p. 193. Vers. *Cornar.* I. p. 397. III. p. 421.

Commemorarunt hos libros prae ceteris *Erotianus* r), atque *Galenus* s), cuius hac de re verba adducere liceat. Μόνα δὲ καὶ λοιπὰ τῶν ζ'. τούτων βιβλίων Ἱπποκράτους εἶναι τοῦ μεγάλου, σχεδὸν, ἅπασιν ὡμολόγηται, τό τε πρῶτον καὶ τὸ τρίτον. *Solos autem reliquos* (hos enim reiecerat *Galenus*) *ex his septem libris*, HIPPOCRATIS *magni esse fere ab omnibus concessum nempe primum et tertium.* Et iterum t): Ὥσπερ δὲ τὸ πρῶτον καὶ τὸ τρίτον οὐ μόνον ὑφ' Ἱπποκράτους συγκεῖσθαι δοκεῖ τοῖς ἄριστα περὶ τούτων ἐγνωκόσιν, ἀλλὰ καὶ τῇ τῆς θεωρίας οἰκειότητι συνῆφθαι πρὸς ἄλληλα. — *Quemadmodum autem primus et tertius non solum ab* HIPPOCRATE *compositi esse videntur, iis, qui optime de his iudicant, sed etiam ob speculationis affinitatem mutuo inter se connexi* — idque alio loco u) sic expresserat: Πρὸς ἔκδοσιν δ' ὁμολογεῖται γεγονέναι τὸ πρῶτόν τε καὶ τρίτον. Nec mirum est, omnes reliquos medicos, *Stephanum*

r) In Praefat. Gloss. p. 33. T. I. ed. *Chart.*

s) Difficult. Resp. II. 8. p. 255. T. VII. ed. *Chart.*

t) Difficult. Resp. III. 1. p. 268. cf. In I. Praedict. Comm. III. 95. p. 763. T. VIII. ed. *Chart.*

u) In VI. Epid. Comm. III. Similiter in L. de Articul. Comm. III.

phanum Athenienſem v), *Foëſium* w), *Freindium* x) cet. ne latum quidem vnguem ab hac ſententia receſſiſſe. Fuit enim ea ſemper, eſt, eritque horum librorum auctoritas, vt et perſpicaciae Hippocrateae argumento ſint, et pleniſſimi obſervationum, in quibus callidiſſimum reperias naturae indagatorem. Conſcripti praeterea ſunt ea orationis breuitate argumentorumque grauitate ſatis accurata, cum ex more artificis omnia omnino dicantur breuiter, ſubtiliter, at vero rei et narurae appoſite. Abundant denique rerum, quae ad valitudinem et conſeruandam et redintegrandam videntur vllo modo eſſe neceſſariae, copia incredibili, atque praemiſſis iis, quae ad vniuerſam morborum naturam pertineant ad ſingulorum enarrationes ſeſe contulit HIPPOCRATES, quae cum argumenti veritate et accuratione lectu ſunt digniſſimae, tum euentorum confeſſione commendabiles, neglectis tamen omnibus ratiociniorum blandimentis.

At his binis libris eo haud contineri videtur doctrinae accuratio, quae adhibita in ceteris Hippocrateis monimentis fuit. Scio, ſed, *Galeno* y) auctore, reliquos aetate antecedunt, adeoque omnis ab HIPPOCRATE neglectus videtur orationis cultus, ne quid daret precariis enunciationibus.

v) Explanat. in *Gal.* L. I. ad *Glaucon.* p. 1. vbi locum ex I. Epid. Sect. III. init. attulit.
w) In Praefat. ad h. l. p. 3. Sect. VII.
x) In Praefat. ad L. Epid. Comment. p. 176.
y) Dier. Iudicator. I. 3. p. 454. et II. 3. p. 476. T. VIII. ed. *Chart.*

nibus. Nam ὀ θεραπευτικὴν αὐτῷ [z]) πρόκειτο ταύτηνγράψαι πραγματείαν, ἀλλὰ προγνωστικήν. Hinc ſuaſor auctorque fuit *Galenus*[a]), vt ſi quis ex horum librorum lectione fructum velit capere, alios praemittendos cenſeat.

Sed medicamentorum his in libris aut parum, meminit, aut nihil prorſus. Scio et illud, at id genus homines quam in ſentiendo temerarii ſunt, quam in iudicando fallaces! Hoc enim ipſo profitentur, hos ſe Hippocrateos libros aut nunquam legiſſe, atque ex aliorum pendere auctoritate, aut ſaltem obiter verſaſſe. Vocauit enim in ſubſidium HIPPOCRATES *lotiones*, *fomenta*, *balnea*, *ſanguinis detractiones*, *purgationes* cet. indeque facile confici poſſe putem, *morborum iudicationes*, quas veteres medici ſollicite exſpectabant efferebantque ſummis laudibus, recentiores rident et temerario auſu ſaepenumero praeuertunt, diuinum ſenem vnice in votis habuiſſe, adeoque caſu, neſcio, quo in eorum incurriſſe reprehenſionem, qui quo maiori cum fide confeſſus euentus morborum funeſtiſſimos fuerat, eo maiori licentia hos libros *meditationes mortis* appellare auſi ſunt, quorum in numero coryphaeum et ducem quaſi eſſe *Aſclepiadem Galenus* [b]) memoriae prodidit. Bene enim

z) *Galen.* in III. Epid. Comm. III.

a) In I. Epid. Comm. I. p. 3. T. IX. ed. *Chart.* Sunt vero, quod lectos velit L. περὶ ἀέρων, περὶ φύσεως ἀνθρώπου, ἀφορισμοὶ, προγνωστικόν, cet. et praeclare, quo modo argumenta horum librorum a ſe diſſentiant aut conueniant, ediſſerit, id quod legiſſe, poenitebit, puto, neminem.

b) de Venaeſect. aduerſ. *Eraſiſtratum* c. 5. p. 397. T. X. ed. *Chart.*

enim illa *Q. Fabii Maximi* apud *Liuium* [c]) huc referenda videntur: *Medici plus interdum quiete, quam agendo et monendo proficiunt.* Num quid turpius dici aut cogitari poſſit indignius medici perſona, quam ab iis, quos forte vili pendat meliora edoceri? Nonne his medicis longe praeſtat *Vegetius* [cc]), qui: *Saepius*, inquit, *nulla adhibenda medicamina ſunt, quod vsque adeo naturae beneficio aegroti conualeſcant, aut longius vitam extrahant, vt eis nocitura ſit cura.*

Primo igitur *libro* multa, eaque praeclariſſima continentur monita, *medico ad ea, quae coram ſunt, praeterierunt aut futura ſint, attendendum eſſe, ſi ad veram morbi cognitionem peruenire velit; medicum aut iuuare oportere, aut ſaltem non nocere* cet.

Tertius vero *liber*, vt cum ſupra ex *Galeno* [d]) eius auctoritatem vidimus, tum priores duodecim aegrorum enarrationes, nec non orationis forma et argumenti ſimilitudo ſuadent, fuit olim primi libri continuatio, videturque hac de cauſa eodem iure auctoritatis integritatisque digniſſimus.

Quae ad calcem tantum non ſemper adiecta ſigna ſunt, interdum a nonnullis exemplis afuerunt, aut ſaltem variae explicationis et loci ſunt, ad

c) Hiſt. Rom. XXII. 18. p. 213. ed. *Gruter.*

cc) Art. Veterinar. IV. 7.

d) Cf. L. de Comate c. 2. p. 195. T. VII. ed. *Chart.* vbi dicitur: *οὕτω καὶ φανερῶς γράφοντος Ἱπποκράτους, οὐκ ἀμφιδόξῳ βιβλίῳ, ἀλλ᾽ ὥσπερ τις ἄλλος τῶν γνησίων εἶναι πεπιστευμένῳ, τῷ τρίτῳ τῶν Ἐπιδημιῶν.*

ad *Mnemona* [dd]) quendam Siditem, tanquam auctorem, referri ſolent, nec cum alieno debeantur homini, veritus *Freindus* [e]) eſt penitus omittere, partim quod nemini hac ex re damni quid inferatur, partim quod difficillima explicatu et fere nullius vſus ſint.

§. X.

Περὶ διαίτης ὀξέων. De Victu Acutorum.

Ed. *Lind.* p. 268. T. II. Ed. *Froben.* gr. p. 365. ſed adiectum eſt p. 376. Τῶν ἑπομένων τινὰ μὲν, ὡς Γαληνὸς φησὶ, γνήσια Ἱπποκράτους ἐστὶ καὶ τὴν λέξιν ἄμεμπτον ἔχει μετὰ τῆς διανοίας τινὰ δὲ αὐτοῦ οὐκ ἄξια, ὡς ὑπονοῆσαι παρεγγεγράφθαι τοῖς γνησίοις, idque incipit a §. 34. ed. *Lind.* Ed. *Mercurial.* Sect. I. p. 212. Ed. *Foëſ* p. 52. Sect. IV. Ed. *Chart.* p. 1. T. XI. Verſion. *Cornar.* p. 489.

Meminerunt huius libri *Erotianus* [f]), atque *Palladius* [g]), inprimis vero *Galenus* [gg]): Τοῦτο μὲν τὸ σύγγραμμα τὸν ὁμολογουμένων γνησίων ἐστιν, idque

dd) *Galen.* in III. Epid. Comm. I. p. 209. et p. 221. T. IX. et in III. Epid. Comm. II. 4. p. 238. has *Mnemonis* notas explicat. Conf. *Cleric.* Hiſt. de Medec. P. II. L. I. c. 8. p. 40. ſequ.

e) In Praefat. ad L. Epid. Comment. p. 176.

f) In Praefat. Gloſſ. p. 33. T. I. ed. *Chart.* et Gloſſ. voc. ξυνιέναι, ὀῤῥὰν πίσσης.

g) Comment. in L. de Fractur. ap. *Foëſ.* p. 147. Sect. VI. Opp. HIPP. et ed. *Chart.* p. 271. T. XII.

gg) In L. Prognoſtic. Comm. I. 4. p. 588. T. VIII. ed. *Chart.* et Placit. *Platon.* et HIPP. IX. 6. p. 260. T. V. σκιαγραφίαν quaſi huius totius libri dedit, quid? quod L. Difficult. Reſpir. III. 6. p. 276. T. VII. negat quemquam eorum, qui contentionis gratia multos Hippocrateos libros, tanquam non genuinos, putarint reiiciendos, hunc aggredi auſum eſſe.

idque vſque ad locum, vbi *de balneis* agitur; tunc enim falſa et ſuppoſita eſſe, quae ſequantur, auctor eſt [h]). Continentur enim ea parte *quaedam* τῆς ἑρμηνείας *diuerſitas et* θεωρήματα haud pauca, multae tandem ῥήσεις, quae ab genuinis HIPPOCRATIS magni libris quam longiſſime abſunt, etſi negari nullo modo poſſit, peruetuſta [i]) haec omnia eſſe, et *Eraſiſtrati* iam tempore legitimis adſuta.

Sed varia huius libri, quem *Galenus* [k]) HIPPOCRATI tribuit, apud auctores fieri ſolet mentio; Alii περὶ διαίτης inſcribunt, vt *Erotianus* [l]), et *Athenaeus* [m]); alii περὶ ὀξέων νοσημάτων; alii περὶ πτισάνης, vt *Erotianus* [n]), *Plinius* [nn]), *Galenus* [o]), etſi male ſic inſcribi ait, *Athenaeus* [oo]); alii περὶ διαίτης ὀξέων, vt *Dioſcorides* [p]), *Galenus*

h) In III. Epid. Comm. II. Praefat. p. 230. T. X. ed. *Chart.* et Comm. IV. in h. l. Praef. p. 116. Comm. III. in h. l. 39. p. 106.

i) In L. Vict. Acut. Comm. IV. 5. p. 120. T. XI. edit. *Chart.*

k) In L. h. Comm. I. 17. p. 15. T. XI. ed. *Chart.*

l) Gloſſ. cit.

m) Deipnoſ. II. 7. p. 45. ed. *Caſaub.* cf. *Alexander Aphrodiſ.* II. Probl. 9.

n) Praef. Gloſſ. p. 33. T. I. ed. *Chart.*

nn) Hiſt. Nat. XXII. 25. p. 798. T. II. ed. Lugd. *Galen.* L. Difficult. Reſp. III. 6. p. 276. T. VII. ed. *Chart.*

o) L. Placit. *Platon.* et HIPP. IX. 6. p. 261. T. V. ed. *Chart.* In L. Vict. Acut. Comm. I. 17. p. 14. T. XI.

oo) Deipnoſ. II. 16. p. 57. ſimulque eius integritatem reddit dubiam. Ἱπποκράτης ἐν τῷ περὶ πτισάνης, οὗ τὰ ἐκ τοῦ ἡμίσους μὲν νοθεύεται ὑπ' ἐνίων δὲ καὶ ὅλον.

p) Ap. *Galen* in Gloſſ.

nus q), *Pollux* r), *Rufus Ephesius* s); alii denique πρὸς τὰς Κνίδιας γνώμας, vt prae ceteris *Caelius Aurelianus* t) fecit, etsi, *Galeno* u) iudice, hoc nomine indignus liber est, cum non prae ceteris aduersus Cnidiorum medicorum rationem aegros inedia iugulandi, conscriptus fuisse videatur.

Maxima vero veterum medicorum, in primisque HIPPOCRATIS, medendi ratio versatur in *victu ordinando*, qui quantum in morborum acutorum valeat curationibus, probe perspectum habent medici et patrum memoria et nostra aetate clarissimi, iique vere Hippocratici, *Sydenhamii*, *Bagliuii*, *Boerhauii*, *Swietenii*, *Haenii*, *Ludwigii*, alii.

q) In L. Nat. Hom. Comm. I. 1. p. 98. T. III. ed. *Chart.* In II. Epid. Comm. II. 12. p. 132. T. IX.

r) Onomastic. sub voc. ὀξύβαφον.

s) Appellat. Part. Corp. L. I.

t) Morb. Acut. I. 12. p. 34. ed. Amstel. III. 4. p. 168. III. 7 et 8. p. 189. sequ. Morb. Diuturn. IV. 3. p. 472. V. 1. p. 502. sub nomine *ptisanae* vero Morb. Acut. I. 12. p. 39. II. 19. p. 123. At L. *Regularis* s. *Diaeteticus*, quem Morb. Acut. II. 19. p. 142. allegat, et ex quo quaedam adfert, hodie desiderari videtur, neque istorum aliquid in libris HIPP. περὶ διαίτης, quantum hodie supersunt, reperire mihi adhuc licuit. Quod si quid occurreret, facile mihi eo nomine libros omnes περὶ διαίτης comprehendi persuaderem, cum iudice *Galeno*, Comm. ad L. VI. Aph. 1. p. 248. P. II. T. IX. ed. *Chart.* olim etiam eos Ὑγιεινὸν διαιτητικὸν inscribere moris esset.

u) L. Placit. *Platon.* et HIPP. IX. 6. p. 261. T. V. edit. *Chart.* In L. Vict. Acut. Comm. I. 17. p. 14. T. IX. *Cnidiarum* vero *sententiarum* auctor fuit *Euryphon*, vt *Gal.* in VI. Epid. Comm. I. 42. p. 387. T. IX. memoriae prodidit.

alii. Eſt autem HIPPOCRATES v) omnium medicorum primus, qui de hoc argumento non contemnendo rite quaedam et accommodate naturae ſcripſerit, inutilemque Cnidiorum operam, qua morborum formas temere et incredibiliter augerent, omni, qua par erat, orationis grauitate riſerit.

Priori igitur *libri parte ptiſanae parandae modus, eiusque in morbis acutis praeſtantia incredibilis* demonſtratur, idque nec omiſſis aliorum medicorum erroribus, qui aegros fame iugulabant, commoneri te videas, *quid quantumque valeat victus ex hordeo tenuis.*

Altera in morbis, quos veteres dixerant *acutos*, verſatur explicandis, *inflammationes cerebri, pulmonum*, aliarumque partium, quas id genus mala infeſtare ſolent, καῦσον, cet. in primis *laterum dolorem*, quem graeci πλευρίτικον appellant, *eiusque curationem* deſcribit naturae tam appoſite, tam eleganter, nihil vt ſupra, tuncque prius *ſanguinem iubet detrahi, quam corporis purgationes fiant*, praeſertim ſi ab ſuccorum redundantia morbus natus ſit.

Tertia libri particula liberaliorem aquae mulſae, oxymellis ὑδρογάλακτος, cet. *vſum in febrium acutarum acceſſionibus iubet eſſe commendatiſſimum.*

Vltima

v) In h. l. §. 2. p. 269. T. II. ed. *Lind.* atque ante eum victus non adeo habitam eſſe rationem *Plato* Republ. III. p. 594. ed. *Frob.* ait, ea tamen lege atque conditione adhibita, vt huius inuenti gloriam ad *Herodicum* potius, quam HIPPOCRATEM retuliſſe videatur.

Vltima tandem, *quae vniuerſe dicta erant, ea omnia ſingulis morborum narrationibus confirmantur;* habeturque haec *Hallero* w), pro ſuppoſita, in quo ei repugnare temere non auſim; Quare non poſſumus non ex huius libri lectione, qui et orationis breuitate diuino ſene videtur digniſſimus, et argumentorum grauitate prae ceteris commendabilis, Hippocrateam aegrotationes corporis abigendi viam optime perſpicere, illamque imitando feliciſſime adſequi conari. Summa enim magno huic viro gloria atque honos debetur, debetur modo? immo vero debebitur apud poſteros, quod tanta cum argumentorum vi atque pondere eorum errores confutarit, qui, omni alimentorum genere detrahendo, aegros interficerent.

§. XI.

Περὶ τῶν ἐν κεφαλῇ τρωμάτων. De Vulneribus Capitis.

Ed. *Lind.* p. 687. T. II. Ed. *Froben.* gr. p. 445. ſed p. 451. poſt verba: ἀφελὼν δὲ τὰ λοιπὰ, ἰητρεύειν ὡς ἂν δοκέῃ ξυμφέρειν τῷ ἕλκει — adiiciuntur haec: Ταῦτα προσγεγράφθαι τῷ δὲ τῷ βιβλίῳ, Γαληνὸς φησί, atque iterum p. 456. poſt οἱ λιθιῶντες πρὸς τὸν γινόμενον ὀῤῥὸν legitur: Καὶ τάδε τὰ τελευταῖα ὑπό τινος προσγεγράφθαι δῆλον ἐστιν. Ed. *Mercurial.* Sect. I. p. 242. Ed. *Foëſ.* p. 172. Sect. VI. Ed. *Chart.* p. 115. T. XII. Verſ. *Cornar.* p. 590.

Viſus hic liber eſt commemoratu digniſſimus *Erotiano* ww), *Galeno* x), aliisque perquam multis.

w) Art. Medicae Princip. p. 258. T. I.

ww) In Praefat. Gloſſ. p. 33. T. I. ed. *Chart.* et Gloſſ. voc. ἑδραίως.

x) Method. Medend. VI. 6. p. 150. T. X. ed. *Chart.*

tis. Continentur hoc libro chirurgiae praecepta tam praeclara, tam copiosa, nihil vt nostra aetate melius, vtiliusque dici posse videatur, cuius generis sunt: *suturas in perforando, quoad eius fieri possit, fugiendas esse*, etsi hac de re aliter nostri chirurgi; *vlcera nullo humore humectanda; vulnera angustiora esse dilatanda; ossa capitis radi oportere, vulnera* vero *pura seruari* cet. Anatomes praeterea scientia haud contemnenda videtur, in primis quae ad *ossium naturam* explicandam pertinere videantur. Tandem multus est HIPPOCRATES in variis ossium laesionibus describendis, quales sunt *fracturae, fissurae, contusiones* cet. singularumque signa, caussas et medicationes in medium proferre haud dubitat, idque naturae apposite.

Neque de huius libri vetustate atque pretio quis sit, qui iure suo dubitet, non video. Genus enim scribendi breue est atque concisum, omni resecta verborum redundantia, adeoque haud indignus liber videtur magni HIPPOCRATIS nomine, etsi suo iam tempore peregrina quaedam adiecta fuisse *Galenus* y) auctor est, et inter legendum facile intelligi posse censeo.

y) In Gloss. voc. ἐκλεέθω, σφάκερος, et in L. Vict. Acut. Comm. IV.

§. XII.

§. XII.

Περὶ ἀγμῶν. *De Fracturis.*

Ed. *Lind.* p. 708. T. II. Ed. *Froben.* gr. p. 456. Ed. *Mercurial.* Sect. I. p. 259. Ed. *Foës.* p. 15. Sect. VI. Ed. *Chart.* p. 151. V. XII. Vers. *Cornar.* p. 602.

Facta huius libri mentio est apud *Erotianum* [z]), *Galenum* [a]), *Palladium* [a a]), aliosque plurimos, quos piget adducere. Sed et de eius auctoritate atque pretio aestimando multi dubitant, et inscriptionis ratio adhuc sub iudice est.

Galenus [b]) enim hunc olim libro κατ᾽ ἰητρεῖον adiunctum, deinde autem ab alio separatum hoc περὶ ἀγμῶν nomine fuisse memoriae prodidit, idque eo visus argumento probare annisus est, quod liber κατ᾽ ἰητρεῖον prisci sit HIPPOCRATIS, *Gnosidici* filii; sed, vt solet, sibi non constat, et in vtramque partem ferri videtur. *Palladius* [c]) vero, cum in eo explicando versaretur, eum ab aliis κατ᾽ ἰητρεῖον inscribi perhibet, aliis vero primam libri περὶ ἀγμῶν partem, alteram περὶ ἄρθρων videri, quae quidem inscriptio ei maxime arridet, ea tamen adhibita lege atque conditione, vt περὶ ἀγμάτων appellari hunc librum mallet.

z) In Praef. Gloss. p. 33. T. I. ed. *Chart.* et Gloss. voc. δίκαιον, κατατεῖναι, σπληνὸς κατ᾽ ἴξιν.

a) Method. Medend. VI. 5. p. 144. T. X. ed. *Chart.*

a a) Comment. in L. h. de Fractur. ap. *Foës.* p. 147. Sect. VI. Opp. HIPP. et ed. *Chart.* p. 271. T. XII.

b) In h. l. Comm. I. 1. p. 153. T. XII. ed. *Chart.* et L. Placit. *Platon.* et HIPP. IX. 5. p. 258. T. V. et c. 6. p. 263.

c) L. cit.

De auctoritate vero cur dubius haeream, non video. Etſi enim eum aliis ad HIPPOCRATEM Coum, *Heraclidis* filium, aliis ad HIPPOCRATIS auum referendum videri litteris *Galenus* [d]) prodiderit, idque cum multis aliis confirmandum exiſtimarit *Io. Albert. Fabricius* [e]), nimis tamen temere, ſi quid video, et indicta cauſſa id factum eſſe videtur. Demtis enim quibusdam paradoxis, quae alieno homini accepta ferenda ſunt, eo conſcriptus eſt ordine, accuratione orationis argumentorumque dignitate, qua Hippocratea monimenta integra a ſuppoſitis et commentitiis ſolent ſegregari. Aui autem eam ob cauſſam, ſi vel alia omnia me deficerent, (haberem certe multa, ſi verboſior eſſe vellem,) eſſe nego atque pernego, partim quod, *Galeno* [f]) teſte, nihil omnino a nonnullis ſcripſiſſe perhiberetur, partim quod chirurgorum operae ſint longe curatius elegantiusque expreſſae, quam vt in ea, quibus ille vixit, tempora cadere vllo modo poſſe videatur. Dolendum id vnum eſt, quod temporum iniuria finis deſideretur operis, ex quo multa ſane, eaque praeclariſſima, fuiſſe deperdita certe auguramur.

Verſa-

d) In L. Vict. Acut. Comm. I. 17. p. 15. T. XI. ed. *Chart.* vbi ſimul libri περὶ ἄρθρων auctorem HIPPOCRATEM, *Gnoſidici* filium, eſſe litteris reliquit conſignatum.

e) Biblioth. Gr. II. 24. p. 895.

f) In L. Vict. Acut. Comm. I. 17. p. 15. T. XI. ed. *Chart.* addit tamen, quosdam ei libros περὶ ἀγμῶν καὶ ἄρθρων attribuere.

Verſatur autem hoc libro vel maxime in eo HIPPOCRATES, vt *et victus rationem haberi iubeat, et peccata veterum medicorum acriter confutet*, qui etſi ſibi acutioris naris eſſe videbantur, ceterisque multum antecellere, tamen nec *in fracturis firmandis*, nec *in luxationibus reponendis* ſeſe gerebant naturae accommodate, *id quod qua via melius effici debeat*, bene docuit. Deinde *iuſta ſuffultus oſſium cognitione ex mutatione membrorum varia varias etiam muſculorum oſſiumque formas cenſet eſſe* repetendas. Denique multa hoc in libro continentur praecepta haud ſpernenda, *ex nimia compreſſione φλεβῶν, αἱμοῤῥόων πελίωσεις, ναυσώσεις, oriri poſſe; graues fracturas raro eſſe deligandas; in febre, quae, vulnere inflicto, ſolet infeſtare, aceto, mulſa, et abſtinentia a cibis eſſe vtendum; curationes alias ab aliis longe diſcrepare, et naturas corporum a ſe inuicem incredibiliter* cet. Sed haec hactenus.

CAPVT III.

De ſuppoſitis HIPPOCRATIS *magni libris, qui et ſubtilius, quam par erat, ſcripti ſunt, et reliquis Hippocrateis monimentis repugnant.*

§. I.

Notae illae, quibus libri integri gaudent, non reſpondent ſuppoſitis.

Praemiſſis iis, quae de HIPPOCRATIS magni libris integris adhuc dicenda putauimus, breuioribus nobis in reliquorum leuitate demon-

ſtranda eſſe liceat. Qui cum nec ea conſcripti ſint *orationis breuitate doctrinaeque ſimilitudine*, qua diuinum ſenem vſum fuiſſe inter omnes conſtat, nec *argumentorum veritate* ſe commendent; deinde cum et *Erotiano* et *Galeno* maximam partem ſilentio ſint praeteriti, id quod certo eſt indicio, eos tunc temporis aut nondum fuiſſe monimentis Hippocrateis adſutos, aut ſaltem pro ſuppoſitis habitos, adeoque penitus neglectos; denique cum fere redundent *ratiociniorum multitudine atque ſubtilitate*, quam, auctore *Galeno* g), ab obſeruatore medico procul abeſſe iuſſerat HIPPOCRATES; confici ex his facile poſſe putem, libros hos, cuius tandem cunque nominis ſint, aliorum virorum ſtudio elaboratos eſſe, nec ſua quidem vtilitate deſtitutos, at nobili tamen diuini ſenis nomine indigniſſimos; qui cum ſic vellent tuto deliteſcere, hominum doctorum induſtria et perſpicaciae miniſterio a veris et integris ſegregarentur opus erat.

§. II.

Suppoſitorum Librorum Recenſio.

Qui libri, quorum in numerum etiam *Theſſali*, *Polybi*, *Euryphontis*, lucubrationes referendas, easque explicatu digniſſimas *Galenus* h) cenſuit, quippe viderentur eſſe ſaltem artis Hippocraticae, qui, inquam, libri cum tertiam fere partem monimentorum Hippocrateorum conſtituant,

g) In L. de Articul. Comm. I. 3. p. 291. T. XII. ed. *Chart.*
h) Difficult. Reſpirat. III. 13. p. 291. T. VII. ed. *Chart.*

tuant, operae pretium existimaui, suo quemque loco et ordine adferre ante, quam ad singulorum explicationem progrederer. Sunt vero omnes omnino suppositi, et Hippocratea auctoritate indignissimi:

1) Περὶ τέχνης.	*De Arte.*
2) Περὶ ἀρχαίης ἰητρικῆς.	*De Prisca Medicina.*
3) Νόμος.	*Lex.*
4) Περὶ ἰητρȣ̃.	*De Medico.*
5) Περὶ εὐσχημοσύνης.	*De Decenti Ornatu.*
6) Παραγγελίαι.	*Praeceptiones.*
7) Περὶ ἀρχῶν ἢ σαρκῶν.	*De Principiis aut Carnibus.*
8) Περὶ γονῆς.	*De Genitura.*
9) Περὶ φύσιος παιδίȣ.	*De Natura Pueri.*
10) Περὶ ἑπταμήνȣ et περὶ ὀκταμήνȣ.	*De Partu Septimestri et Octimestri.*
11) Περὶ διαίτης α΄.	*De Victus Ratione I.*
β΄.	*II.*
γ΄.	*III.*
12) Περὶ φύσεος ἀνθρώπȣ.	*De Natura Hominis.*
13) *De Structura Hominis.*	
14) Περὶ ἀνατομῆς.	*De Resectione.*
15) Περὶ καρδίης.	*De Corde.*
16) Περὶ ὀςέων φύσιος.	*De Ossium Natura.*
17) Περὶ φλεβῶν.	*De Venis.*
18) Περὶ αἰῶνος.	*De Aetate.*
19) Περὶ χυμῶν.	*De Humoribus.*
20) Περὶ τόπων τῶν κατ᾽ ἄνθρωπον.	*De Locis in Homine.*
21) Περὶ φυσῶν.	*De Flatibus.*
22) Περὶ ἀδένων.	*De Glandulis.*
23) *De Significatione Vitae et Mortis.*	
24) Περὶ κρισίμων.	*De Diebus Iudicatoriis.*
25) Περὶ κρίσιων.	*De Iudicationibus.*

26) Προῤ-

26) Προῤῥητικόν α΄.	*Praedictorum I.*
27) Κωακαὶ προγνώσεις.	*Coacae Praenotiones.*
28) Περὶ ὀδοντοφυΐης.	*De Dentitione.*
29) Περὶ τροφῆς.	*De Alimento.*
30) Περὶ ὑγρῶν χρήσιος.	*De Humidorum Vsu.*
31) Περὶ φαρμάκων.	*De Purgantibus.*
32) Περὶ ἐλλεβορισμοῦ.	*De Veratri Vsu.*
33) Περὶ διαίτης ὑγιεινῆς.	*De Salubri Victus Ratione.*
34) Περὶ ἐνυπνίων.	*De Insomniis.*
35) Ὑγιεινὸν πρὸς Δημήτριον.	*De Sanitate Tuenda ad Demetrium.*
36) *De Sanitate Tuenda ad Antiochum.*	
37) *De Sanitate Tuenda ad Maecenatem.*	
38) Ἐπιδημιῶν β΄.	*Morborum Popularium II.*
δ΄.	*IV.*
ε΄.	*V.*
ς΄.	*VI.*
ζ΄.	*VII.*
39) Περὶ νούσων α΄.	*De Morbis I.*
β΄.	*II.*
γ΄.	*III.*
δ΄.	*IV.*
40) Περὶ παθῶν.	*De Affectionibus.*
41) Περὶ τῶν ἐντὸς παθῶν.	*De Internis Affectionibus.*
42) Περὶ ἱερῆς νούσου.	*De Morbo Sacro.*
43) Περὶ μανίης.	*De Insania.*
44) Περὶ αἱμοῤῥοΐδων.	*De Haemorrhoidibus.*
45) Περὶ ὄψιος.	*De Visu.*
46) Περὶ παρθενίων.	*De Virginum Morbis.*
47) Περὶ γυναικείης φύσιος.	*De Natura Muliebri.*
48) Περὶ γυναικείων α΄.	*De Morbis Mulierum I.*
β΄.	*II.*
49) Περὶ ἀφόρων.	*De Sterilibus.*
50) Περὶ ἐπικυήσιος.	*De Superfoetatione.*

51) Περὶ

51) Περὶ ἐγκατατομῆς ἐμβρύȣ. *De Exsectione Foetus.*
52) Περὶ ἑλκῶν. *De Vlceribus.*
53) Περὶ συρίγγων. *De Fistulis.*
54) Περὶ ἄρθρων. *De Articulis.*
55) Μοχλικός. *Vectiarius.*
56) Ἱππιατρικά. *Veterinaria.*
57) Ἐπιϛολαί. *Epistolae.*

Reliquum igitur eſt, vt ſingulatim hos libros percurramus, et quid boni maliue illis contineatur, anquiramus quam diligentiſſime, partim quod hac ratione lectori ſe offerant eorum male facta, qui labores tam futiles tamque proletarios Hippocrateis inferre monimentis auſi ſint, partim quod inde perſpiciat optimus quisque, nullum librum eſſe tam leuem adeoque parui momenti, quin exinde fructus capere vberrimos poſſit, modo dilectus et iudicii vis pectus quaſi praemunierit.

§. III.

Περὶ τέχνης. *De Arte.*

Ed. *Lind.* p. 1. T. I. Ed. *Froben.* gr. p. 1. Ed. *Mercurial.* Sect. IV. p. 10. Ed. *Foëſ.* p. 2. Sect. I. Ed. *Chart.* p. 146. T. II. Verſion. *Cornar.* p. 5.

Libri huius quidem meminit *Erotianus* i); *Suidas* k) vero, vt multis videtur, HIPPOCRATI, *Gnoſi-*

i) In Praef. Gloſſ. p. 33. T. I. ed. *Chart.* Miror itaque ſane, quid ſit, quod *Hallerus* Princip. Art. Medic. p. 155. T. IV. auctoritate, neſcio, qua compulſus huius libri non, niſi *auctorem definitionum* meminiſſe perhibeat.

k) In voc. Ἱπποκράτης, p. 1269. Vol. I. ed. *Port.*

Gnosidici filio, adsignauit, atque *Hieron. Mercurialis* kk) multis de caussis compulsus HIPPOCRATIS nomine iudicauit indignissimum, et in quartam classem reiiciendum. Qui liber etsi subtilius, quam diuini senis persona dignum erat, elucubratus sit, et ratiociniorum laboret multitudine, multa tamen eo continentur praeclara, quae magnum virum haud dedecent, et cum *ad medici auctoritatem conseruandam, tum scientiae praestantiam aduersus calumniatores confirmandam* pertinere vllo modo posse videantur, si qua morbi vehementia omnem remediorum vsum atque virtutem eludat, aegrumque iugulet. Recte hinc poeta:

Non est in medico semper, releuetur vt aeger;
Interdum docta plus valet arte malum;

quodsi simul inueterauit, bene sane *Claudianus* l):

Veteri post obruta morbo
Corpora, paeonias nequicquam admoueris herbas.

Distinguuntur praeterea *morborum formae*, quibus, sanarine aeger possit, nec ne, rite intelligas. Accedit denique, quod quaedam de natura habeat, non, nisi ratiociniorum ministerio detegenda, qualis est *musculi notio et anatomes scientia haud spernenda; manifestae excretionum qualitates, ventres multi, tela cellulosa* cet.

§. IV.

kk) In Censura Opp. HIPP. p. 18.

l) In *Eutropium* L. II. 11. sequ.

§. IV.

Περὶ ἀρχαίης ἰητρικῆς. *De Prisca Medicina.*

Ed. *Lind.* p. 14. T. I. Ed. *Froben.* gr. p. 4. Ed. *Mercurial.* Sect. IV. p. 18. Ed. *Foës.* p. 9. Sect. I. Ed. *Chart.* p. 153. T. II. Vers. *Cornar.* p. 10.

Mentio huius libri apud *Erotianum* m) facta est, multis vero de causis prohibemur, quo minus eum vere Hippocraticum censeamus, adeoque recte, quantum equidem video, *Mercuriali* in suppositorum numero collocatur, quicquid contra dicat, *Io. Henr. Schulzius* mm). Nam cum ratiociniorum auctor vsus sit multitudine, scientiam anatomes, quae hoc libello continetur praestantior Hippocratica, solis pictoribus relinquendam, et, Empiricorum more, aegrotationum corporis caussas censeat negligendas, primigenias *Alcmaeonis* n) et Peripateticorum qualitates confutet, praetereaque quaedam alia, ab Hippocrateae doctrinae auctoritate alienissima, pro veris et probabilibus habeat, qualis haec est, *omnes omnino morbos* ἀπὸ δυνάμιων *et* ἀπὸ σχημάτων *nasci, non ab humoribus;* nonnulla denique ex libro περὶ διαίτης repetat, quem HIPPOCRATI magno scimus non in acceptis ferendum esse, atque

m) L. cit. et Gloss. voc. ἀραιὰ, ἀτρεκέως, φῦσαν cet.

mm) Compend. Hist. Medecin. L. II. 1. §. 249. p. 123.

n) L. cit. περὶ ἀρχαίης ἰητρικῆς §. 24. p. 27. T. I. ed. *Lind.* auctor hominis naturae ingeneratam quasi et insitam esse putat illam *amari et salsi, dulcis et acidi austeriue, humidi et sicci, calidi et frigidi* conspirationem, quae doctrina cum, auctore *Plutarcho* Placit. Philos. IV. 30. *Alcmaeoni* debeatur, exinde patet, auctorem huius libri, quisquis sit, vetustatis specie fucum dare voluisse.

que in his omnibus demonſtrandis *mira* verſetur *ſubtilitate;* colligi exinde facile poſſe puto, ab recentiore quodam homine, quisquis demum ille ſit, ſiue *Aeron*, vt *Conringio* o) videtur, ſiue alius ex Empiricorum ſchola, quorum decreta exprimit, originem ſuam duxiſſe putandus eſt, etſi in aliam ſententiam pedibus ire videatur *Schelhammerus* p).

Praecipua ſunt, *medicinam ex vſu ac experientia rerum earum, quae aut iuuarant, aut nocuerant, originem duxiſſe; ab arte hac omnes precarias enunciationes procul abeſſe oportere;* ex *humorum mutatione morborum cateruam vix ſubnaſci poſſe* cet.

§. V.

Νόμος. *Lex.*

Ed. *Lind.* p. 40. T. I. Ed. *Froben.* gr. p. 21. Ed. *Mercurial.* Sect. IV. p. 3. Ed. *Foëſ.* p. 2. Sect. I. Ed. *Chart.* p. 145. T. II. Verſ. *Cornar.* I. p. 4.

Commemorandus hic libellus viſus *Erotiano* q) eſt, tanquam fuiſſet ab HIPPOCRATE magno profectus; *Mercurialis* vero eum, idque recte, ſi quid video, multis de cauſſis ex Hippocrateis monimentis putauit eximendum.

Com-

o) In Praefat. ad *Salmuthi* Obſeruat. et Introduct. in Medicin. c. II. §. 11. p. 46. ed. Halenſ. cf. Hermet. Medicin. II. 2. p. 180.

p) In Additament. ad *Conring.* Introduct. l. cit. p. 61. Negat tamen eum ab HIPPOCRATE fuiſſe profectum, etſi de vetuſtatis gloria cum reliquis quibusque contendere poſſe videatur.

q) In Praef. Gloſſ. p. 33. T. I. ed. *Chart.*

Compendium quaſi earum virtutum eſt, quas a medico iure tuo exſpectare poſſis, aliarumque praeterea rerum, quae ad medicinae fata pertinere vllo modo videantur, neque ſuis deſtituitur bonis. Quicquid enim damnorum ex peruerſo medicamentorum vſu proficiſcatur, ex eo repetendum auctor cenſuit, quisquis demum ille ſit, quod *cuicunque medicum ſe profeſſo*, vt perbelle *Plinius* r), *ſtatim credatur, cum ſit periculum in nullo mendacio maius*, nec cui nefaria hac de re poena irrogetur. Deinde hoc libro continentur *illae dotes, quibus bonus medicus ornatus eſſe debeat*, φύσις, διδασκαλίη, τρόπος εὐφυὴς, παιδομαθίη, φιλοπονίη, χρόνος. Hinc artis exercendae gratia vrbes adire iubentur omnes medici, quos *Plato* s) dixerat περιτρέχοντας. Tandem medicos, modo ex artis placitis omnia peregiſſent, hominum conuicia nec curare, nec *plauſus* appetere oportere, auctor ſuaſit. Bene enim *Terentius* t):

Si illum obiurges, vitae qui auxilium tulit,
Quid facias illi, qui dedit damnum aut malum?

§. VI.

r) Hiſt. Nat. XXIX. 1. p. 253. T. III. ed. Lugd. Bat.
s) L. de Legib. IV. ad fin. Erat, *Platone auctore*, alterum medicorum genus *ſeruorum*, qui proprie ſunt οἱ περιτρέχοντες, alterum *ingenuorum*, qui in cauſſarum inueſtigatione verſabantur, adeoque ceteris, qui in Empiricorum ſimilitudinem ad vſum et experientiam omnia referebant, quam longiſſime antecellere videbantur.
t) Andria Act. I. Sc. 1. v. 115.

§. VI.

Περὶ ἰητρȣ̃. *De Medico.*

Ed. *Lind.* p. 44. T. I. Ed. *Froben.* gr. p. 12. Ed. *Mercurial.* Sect. IV. p. 53. Ed. *Foës.* p. 20. Sect. I. Ed. *Chart.* p. 348. T. II. Vers. *Cornarii* p. 20.

Silentio hunc librum *Erotianus* u) praeteriit, *Galenus*que haesisse videtur ambiguus, quem saepius alucinari, nec temere ei fidem semper habendam esse, quis est, qui nesciat? *Non enim, quae ille* HIPPOCRATI *tribuit*, inquit *Conringius* v), *genuina semper sunt* HIPPOCRATIS *placita, sed saepe ipsiusmet Galeni, Hippocratico nomine duntaxat maioris auctoritatis captandae gratia fucata. Vnde vera et genuina* HIPPOCRATIS *interpretatio a Galeno semper non est petenda. — Multa scilicet a Galeno ex* HIPPOCRATE *in alium sensum trahuntur.* At *Foësius* w), quo iure, non video, eum HIPPOCRATIS auctoritati vindicare haud veritus est.

Est vero hic liber et *monitorum multitudine* commendabilis, *quibus medici mores accommodandi sunt, et praeceptorum chirurgicorum utilitate* suspiciendus, immo vero omnia, quae vllo modo huc spectare videantur, qualia sunt de *cucurbitulis variisque vlcerum generibus*, magna cum diligentia et accuratione auctor pertractauit, quisquis demum ille sit; HIPPOCRATEM saltem nec esse, nec esse posse persuasissimum habeo. Primum enim orationis forma

u) L. cit.

v) Introduct. in Medicin. c. 2. §. 16. p. 48. ed. Halens. Cf. *Schelhammer* in Additament. ad l. c. p. 63.

w) In Not. ad h. l. p. 39. Sect. I.

forma ſic ab Hippocratea recedit, vt amplius, huius magni viri ſit, nec ne, dubitare nequeas. Deinde mirum, quantum ineptiis friuolis verbisque ſeſquipedalibus, HIPPOCRATIS auctoritate ſane indigniſſimis, plebeiorum hominum gratiam aucupari ſuadet, *vnguentis odoratis medicum oportere diffluere* cet. Denique ſui non adeo immemor fuiſſe videtur HIPPOCRATES, vt, ſi qua alias, tanquam optima, commendarit, ea iam per negligentiam ſummam omittenda putet. Nam cum HIPPOCRATIS aetas in ea inciderit tempora, quibus bellis haud raro infeſtabatur Graecia, ecquis tandem ſui ſic obliuiſcatur, vt chirurgiae ſtudioſis nullam caſtra ſequendi copiam dari vehementer doleat?

Id vnum tamen noſſe haud pigeat, medicos ex *Lycurgi* inſtituto [x]) in exercitibus verſari ſolitos, idque cuiuis *Homerum* lecturo facile occurret. Erat vero iſtorum temporum medicina ſimpliciſſima, ſequebaturque morum caſtitatem minor aegrotationum corporis caterua et cohors. Hinc vt *Plato* [y]) memoriae prodidit, *inflationes et deſtillationes* cet. inaudita habebantur nomina.

x) *Xenoph.* De Republ. Lacedaemon.

y) De Republ. III. p. 594. ed. *Frob.* 1561.

§. VII.

Περὶ εὐσχημοσύνης. *De Decenti Ornatu.*

Ed. *Lind.* p. 52. T. I. Ed. *Froben.* gr. p. 14. Ed. *Mercurial.* Sect. IV. p. 40. Ed. *Foës.* p. 24. Sect. I. Ed. *Chart.* p. 352. T. II. Verf. *Cornar.* p. 23.

Liber hicce, fi argumenta fpectes, quae auctor fibi fumfit pertractanda, omni laude videtur digniffimus. Sin vero HIPPOCRATIS auctoritatem, penitus cadit, neque veftigium eius apud *Erotianum* et *Galenum* legere me memini. Nec enim orationis forma, nec argumentorum leuitas refpondent viro tanti nominis, qualis fine dubio fuit HIPPOCRATES, omniaque fere remedia auctor, qui demum cunque ille fit, ita parari iubet, vt in iis iftorum temporum facile defideres fimplicitatem.

Verfatur tamen pereleganter in *enumerandis medici virtutibus, varia medicamentorum fupellectile ordinanda*, nec non *inftrumentorum, quae chirurgo videantur neceffaria, numero et vfu conftituendo*, neque *negligendum effe putat philofophiae ftudium*, cum cuncta hac in rerum vniuerfitate gigni fierique ratione foleant, recteque hinc ARISTOTELES [z]): *Φυσικοῦ δὲ, καὶ ὑγιείας καὶ νόσου τὰς πρώτας ἰδεῖν ἀρχάς· οὔτε γὰρ ὑγίειαν, οὔτε νόσον οἷόντε γίνεσθαι τοῖς ἐστερημένοις ζωῆς· διὸ σχεδὸν τῶν τε περὶ φύσεως οἱ πλεῖστοι καὶ τῶν ἰατρῶν οἱ φιλοσοφωτέρως τὴν τέχνην μετιόντες, οἱ μὲν τελευτῶσιν εἰς τὰ περὶ ἰητρικῆς, οἱ δ' ἐκ τῶν περὶ φύσεως ἄρχονται, περὶ ἰατρικῆς.* Ceterum

z) L. de Senfu et Senfilit. c. 1. p. 60. T. II. ed. *Du Vall.*

terum ad naturalem quoque spectat, prima sanitatis et aegritudinis principia cognoscere. Etenim fieri non potest, vt quae vita destituta sint, sana sint et aegra. Idcirco fere tam naturalium plurimi, quam medicorum ii, qui doctiuscule artem ipsam persequi ac tractare student, alteri in iis, quae ad artem medicinalem pertinent, suae considerationi finem imponunt, alteri iis, quae ad contemplationem naturae spectant, medendi scientiam auspicantur.

At vero *si qua ad curiositatem et rixas pertineant, ab medicina procul abesse, et recta salutaris artis scientia morumque suauitate medicos veros a pharmacopolis segregari* iussit. Quam enim egregia, quanto tollenda opere, amabo, illa medicinae [a]) laus: "Ἔνι τὰ πρὸς σοφίην ἐν ἰητρικῇ πάντα, ἀφιλαργυρίη, ἐντροπὴ, ἐρυθρίησις, καταστολὴ, δόξα, κρίσις, ἡσυχίη, ἀπάντησις, καθαριότης. γνωμολογίη, εἴδησις τῶν πρὸς βίον χρηστῶν καὶ ἀναγκαίων καθαρσίων, ἀπεμπόλησις, ἀδεισιδαιμονίη, ὑπεροχὴ θεία. *Insunt in medicina omnia, quae ad sapientiam requiruntur, argenti contemtio, verecundia, pudor, modestia in vestitu, dignitas, iudicium, quies, humanitas, mundities, doctrina, cognitio earum purgationum, quae ad vitam vtiles atque necessariae sunt, abstinentia ab lucro iniusto et superstitione, eminentia diuina* cet.

a) §. V. p. 55. T. I. ed. *Lind.*

§. VIII.

Παραγγελίαι. *Praeceptiones.*

Ed. *Lind.* p. 60. T. I. Ed. *Froben.* gr. p. 17. Ed. *Mercurial.* Sect. IV. p. 2. Ed. *Foëſ.* p. 27. Sect. I. Ed. *Chart.* p. 165. T. II. Verſ. *Cornar.* p. 27.

Nulla huius libri cum apud *Erotianum*, tum *Galenum* facta eſt mentio, adeoque, ſi quid video, poſt horum virorum fata demum libris Hippocrateis adiectus videtur, et a quodam profectus empirico. Si enim verum eſt, nec eſt, quod de *Galeni* b) hac in re fide dubitemus, *Empedoclem*, eodem, quo HIPPOCRATEM, modo feciſſe medicinam, omni neglecto lucri ſtudio, hunc certe librum magnam diuini ſenis auctoritatem dedecere, quis eſt, qui non videat? Suadet enim auctor medico ab ſoſtro initium facere, id quod, vt modo diximus, cum ab HIPPOCRATIS grauitate alieniſſimum eſt, tum virum probum dedecet, etſi hoc tandem verborum lenociniis mollire cupit. Quod ſi de iis medicis dixiſſet, qui in aulis principum aut vrbibus celebritate hominum inſignibus verſantur, facile haec mihi perſuaderi paterer, quippe, vt litteris conſignatum reliquit *Xenophon* c), hoc diu iam obtinuerat, nec de *Democede Crotonienſi* negari poſſit, cum eum ſtipendiis ſuſtentatum eſſe memoriae prodiderit *Herodotus* cc). Deinde ridetur in hocce libello rationis adiumentum, cum fallax ſit atque lubrica,

b) L. Placit. *Platon.* HIPP. IX. 5. p. 258. T. V. ed. *Chart.*

c) *Cyropaed.* I. p. 20.

cc) In Thalia III.

brica, at experientia et vsu vel maxime firmari medicinam.

Quae vero libri primordio et fine proferuntur in medium, ea omnia auctor commentitius aut ex integris diuini senis monimentis sumsisse videtur, aut saltem orationis breuitatem grauitatemque argumentorum imitando feliciter expressisse. Quare in eam ingredior sententiam, *Foësium* d) hac similitudine deceptum hunc librum HIPPOCRATIS auctoritate vendicare haud veritum esse. Cetera vero *praecepta, in prudentia medici gubernanda* plurimum valere posse censeo, *siue aegrum, cuius curam habet, spectes, siue cum aliis medicis consuetudinem artisque colligationem*, quos in morborum vehementia et discrimine, ne quid temere factum esse videatur, adiutores iubet conuocari.

Liceat hoc vnum saltem commemorasse, quod, spero, lectorem intelligere nec pigeat, nec poeniteat, fuisse moris eo tempore, in primisque Athenis, medicum aduentitium, ad populum habere concionem, idque non sine legibus quibusdam adhibitis, cum, quantum ex *Xenophonte* e) licuit colligere, a magistratibus tantum artis exercendae potestatem peterent. Quae res vt fieret omni verborum ornatu fucoque oratorum neglecto, is, a quo liber profectus hic est, in votis habuisse videtur.

d) In Not. ad h. l. p. 43. Sect. I.

e) Memorabil. IV. p. 498.

§. IX.

Περὶ ἀρχῶν ἢ σαρκῶν. *De Principiis et Carnibus.*

Ed. *Lind.* p. 112. T. I. Ed. *Froben.* gr. p. 39. Ed. *Mercurial.* Sect. III. p. 1. Ed. *Foës.* p. 29. Sect. III. Ed. *Chart.* p. 302. T. V. Verſ. *Cornar.* p. 55.

Liber hic, qui in multis exemplis περὶ σαρκῶν inſcribitur, HIPPOCRATI nullo modo in acceptis ferendus eſt, partim quod *Erotianus* eius ne meminit quidem, *Galeno*que [f]) modo verus, modo ſuppoſitus habeatur, partim quod *Ariſtoteles* [g]) eum *Polybo* tribuere haud dubitet.

Conſcriptus magna cum ſubtilitate fuit atque acumine, quae, vt ſatis ſuo loco diximus, ab Hippocratea ſimplicitate vel maxime abhorrent. Accedit et illud, quod ex *Heracliti* [h]) principiis placitisque Peripateticorum omnia omnino auctor, qui demum cunque ille ſit, repetiiſſe videtur, adeoque *ex calore ac elementis corpus oriundum, ex frigore vero et pinguitudine oſſa, ex glutine tandem neruos et viſcera ſingula gigni arbitratur.* Denique corporis humani *vaſa in arterias venasque diſtribuuntur*, aliter vt tunc temporis fieri mos erat, immo vero omnia, *quae ad anatomen* pertinent, aetatem Hippocraticam longe antecellunt accuratione.

f) In II. Epid. Comm. III. 29. p. 175. T. IX. et text. 33. p. 178.

g) Hiſt. Animal. III. 3. p. 241. T. II. ed. *Du Vall.*

h) *Heraclitus* ex igne omnia putarat repetenda: qua de cauſſa cum hic liber non ſit ab HIPPOCRATE profectus, *Gundlingio* ſane (v. Otia. c. III. et Declarat. ſuae de Atheiſmo HIPP. ſententiae Vol. III. Biblioth. Nou. p. 802. ſequ.) littera videtur inurenda.

tione. *Doctrina* enim *auditus* nec spernenda est, quippe etiam *membranae tympani* facta est mentio, nec quae *de oculorum neruis*, *tunicis et humoribus*, *de lienis fibris*, *osse cribroso*, adferuntur, indigna sunt magni alicuius viri nomine, qui vero post *Herophili* tempora vixisse censendus est.

Sed quo iure *Conringius* i) et *Hallerus* k), hunc librum *Democrito* attribuant, iuxta cum ignarissimis ignoro. *Diogenes* enim *Laërtius* l) non, nisi librum, huius nominis a *Democrito* elucubratum esse auctor est. Huc accedit, quod hac scriptione multa continentur, quae libro περὶ ἑπταμήνȣ iterum legas, aut ei ex transuerso videntur posita; hunc vero suppositum esse, fugere, puto, neminem.

§. X.

Περὶ γονῆς. *De Genitura*.

Ed. *Lind.* p.124. T. I. Ed. *Froben.* gr. p. 28. Ed. *Mercurial.* Sect. III. p. 10. Ed. *Foës.* p. 11. Sect. III. Ed. *Chart.* p. 180. T. III. Version. *Cornar.* p. 39.

Mira huius libri auctor, quem recentiorem esse exinde colligimus, quod ab *Erotiano* praetermissus silentio sit, et passim ad *Polybum* m) referatur, vtitur ingenii subtilitate *ad modum demonstrandum*, *quo corpus humanum fabrefactum sit*, *omnia ex duplici semine quatuorque humoribus*, *sanguine*, *bile*, *aqua*, *pituita repetiturus*, adeoque vel maxime ab

i) Introduct. in Medicin. c.3. §. 9. p. 88. ed. Halens.
k) In *Boerh.* Method. Stud. Med. P. I. c. 3. p. 594.
l) L. IX. sub voc. Δημόκριτος.
m) *Fabric.* B. Gr. II. 24. p. 801.

HIPPOCRATIS monimentis quam longiſſime abeſſe iuſſimus, partim quod orationis grauitatem in eo deſideres Hippocraticam, partim quod refertiſſimus ſit ineptiis, taedioſis repetitionibus ratiociniorumque laboret multitudine, et anatomes ſcientia aetatem Hippocrateam longe ſuperet accuratione. Hinc certe, ſi quid video, factum eſt, vt *Foëſius* n) cum magnam huic libro cum illo περὶ φύσεως παιδίε intercedere cognouiſſet ſimilitudinem et argumenti et ſcribendi generis, vtrumque ad eundem auctorem referre haud vereretur.

Negare tamen nullo modo auſim, hanc ſcriptionem ſuis bonis deſtitui, quales ſunt prae ceteris *veſiculae ſeminis* cet.

§. XI.

Περὶ φύσιος παιδίε. *De Natura Pueri.*

Ed. *Lind.* p. 133. T. I. Ed. *Froben.* gr. p. 30. Ed. *Mercurial.* Sect. III. p. 17. Ed. *Foëſ.* p. 3. Sect. III. Ed. *Chart.* p. 310. T. V. Verſion. *Cornar.* p. 43.

Mentionem huius libri paſſim apud *Erotianum* o), *Galenum* p), *Palladium* pp), *Macrobium* q), aliosque fieri, memini me legere, et niſi me omnia

n) In Not. ad h. l. p. 100.

o) In Praefat. Gloſſ. p. 33. T. I. ed. *Chart.* et Gloſſ. voc. οἰκέης.

p) L. de Semine I. 4. p. 189. II. 1. p. 212. T. III. ed. *Chart.* In II. Epid. Comm. III. 30. p. 175. T. IX. In Gloſſ. vero περὶ παιδίων φύσιος inſcribi auctor eſt.

pp) Comment. in L. de Fractur. ap. *Foëſ.* p. 147. Sect. VI. et ed. *Chart.* p. 271. T. XII.

q) In Somn. *Scip.* I. 6. p. m. 41.

omnia fallunt, videtur esse libri περὶ γονῆς continuatio, quocum multa habet communia. Hinc factum esse putem, vt *Foësius* [r]) eum apud veteres eodem nomine comprehendi, *Hallerus* [rr]) vero in suppositorum numero collocandum esse arbitrarentur.

Subtilius, quam solet HIPPOCRATES, auctor versatur *in explicanda corporis structura*, et ingenio, incredibile, quantum dat, adeoque reprobandum eum, tanquam magni HIPPOCRATIS grauitate indignissimum, censeo. Primum enim tam lubrica est huius libri auctoritas, nihil vt magis esse possit. *Galenus* [s]) enim modo HIPPOCRATI tribuit, modo, qua erat mentis inconstantia, ad *Polybum* [t]) pertinere putat. Certe auctor, quisquis demum ille sit, *Alcmaeonis doctrinam* amplexus videtur, *qua pullum ex oui luteo nasci et albumine nutriri* adfirmabat; id quod *Alcmaeona* sensisse, memoriae prodidit *Aristoteles* [u]). Deinde descriptio haec eo laborat sermonis vitio, quod ταυτολογίαν dicunt. *Tum ratiocinandi modus*, inquit *Theodorus Zuingerus* [v]), *crebras ἀναλήψεις et ἀνακεφαλαιώσεις, repetitiones item et collectiones ratiociniorum continens, longioribus digressionibus interiectis*,

r) In Not. ad h. l. p. 101. Sect. III.

rr) Medicae Art. Princip. p. 60. T. II.

s) L. cit. et Comment. ad Aph. 37. Sect. V. p. 217. P. II. T. IX. ed. *Chart.*

t) L de Format. Foet. c. 1. p. 236. et in II. Epid. Comm. III. 31. p. 176. T. IX. ed. *Chart*

u) Generat. Animal. III. 2. p. 641. T. II. ed. *Du Vall.*

v) In Comm. ad Iusiur. HIPP. cf. *Io. Meibom.* Comm. in eund. l. p. 144.

teriectis, ab HIPPOCRATIS *breuitate est alienus, tum vero illud, quod longa admodum digressione physicam disputationem de terrae calore et frigore, interiicit; et si ἀπροσδιόνυσον non sit, ἐξώτερον tamen est.* Tertio tempora partus, vt recte monuit *Io. Meibomius* w), ex mensibus solaribus deducuntur, quae in libro περὶ ἑπταμήνου ex mensibus lunaribus videbantur repetenda. En noua repugnantia horum HIPPOCRATIS magni monimentorum! Denique scriptioni huic ea de caussa infamiae macula sit inusta, quod praeuaricatorum more libros eos, qui ad mulierum morbos pertinent, appellare haud erubescat; qui cum sint sine dubio suppositi, huic etiam eadem poena videtur irroganda.

Neque tamen suis destituitur bonis, *crebriorem partum minus doloris atque molestiae creare; foetum naturaliter capite nasci solere; variam esse aquarum naturam atque conditionem, ex solis vicinitate calorisque virtute repetendam* cet. Commemoratu etiam digna sunt, quae *de ouo humano* habet, etsi, si tempus spectes atque molis magnitudinem, non satis vera sunt.

§. XII.

w) L. c. Lapsus igitur Memoria *Hallerus* Method. Stud. Med. *Boerh.* P. I. c. 13. p. 464. est, cum haec etiam de libris περὶ γονῆς, περὶ ἀρχῶν ἢ σαρκῶν, valere putet, et in suas partes trahat *Meibomium* l. c. Sed temere. Non enim, nisi libri περὶ φύσεως παιδίου meminit, quo illa *de psaltria* enarratio continetur, eamque partim ob illud sermonis vitium, quod graeci ταυτολογεῖν dicunt, partim alia multa diuini senis auctoritate indignissima, censuit reprobandum.

§. XII.

Περὶ ἑπταμήνε. *De Partu Septimestri.*

Ed. *Lind.* p. 167. T. I. Ed. *Froben.* gr. p. 44. Ed. *Mercurial.* Sect. II. p. 32. Ed. *Foës.* p. 36. Sect. III. Ed. *Chart.* p. 342. T. V. Version. *Cornar.* p. 61.

Περὶ ὀκταμήνε. *De Partu Octimestri.*

Ed. *Lind.* p. 175. T. I. Ed. *Froben.* gr. p. 46. Ed. *Mercurial.* Sect. II. p. 37. Ed. *Foës.* p. 39. Sect. III. Ed. *Chart.* p. 351. T. V. Version. *Cornar.* p. 64.

In horum librorum vilitate demonstranda cur multus sim, non video. Lectori enim vel oscitanter eos euoluenti libros obscurissimos absurda quaeuis mouent stomachum, adeoque recte, si quid video, illos, tanquam HIPPOCRATIS auctoritate indignos, ab monimentis his procul abesse iussit *Trillerus* x), V. Cl. etsi *Galeno* altera libri περὶ ἑπταμήνε pars vera visa est atque integra, in quo *Foësium* y) plane consentientem habet, isque etiam illum περὶ ὀκταμήνε a superiore non seiungendum esse putat, cum ad eundem auctorem pertineant. *Vsus enim*, inquit, *et rerum tractatio satis indicant.* At vero *Erotianus*, cum in hoc argumento versaretur, eorum ne meminit quidem, estque id praeterea indicio, eos HIPPOCRATI acceptos ferendos non esse, quod auctor, qui demum cunque ille sit, *numerum septenarium* Pythagoraeorum more, quorum etiam quasdam orationis formas imitatur, σκῆνος σώματος

cet.

x) In L. περὶ ἀνατομῆς Comment. De Noua HIPP. Opp. Ed. p. 5. 13. no. 2.

y) In Not. ad h. l. p. 110. Sect. III.

cet. magni aeſtimet et ad eorum ſimilitudinem quandam effingat conſpirationem quaſique contagionem, quam ἁρμονίαν [z]) dicit, ad cuius leges omnia hac in rerum vniuerſitate ſoleant gubernari. Tandem in libro περὶ ἑπταμήνε repetita verba ſunt κίϑαρος, qua voce apud Dorienſes thoracem exprimi *Erotianus* [a]) auctor eſt, ῥυσμὸς et ῥυσμεσϑαι ſepties, cet. Quare hi libri multis, iisque longe doctiſſimis viris videntur haud inepte aut *Democrito* tribuendi, aut ſaltem cum rerum redundent ſubtilitate, tanquam ab HIPPOCRATIS magni abhorrentes, ſine dubio reiiciendi. Commemorabilis tamen *dierum iudicatoriorum doctrina* eſt, quae libro περὶ ἑπταμήνε [b]) continetur. Ceterum *de partus temporibus variaque menſium natura*, ſi cuius plura ſcire interſit, adeat, quaeſo, *A. Gellium* [c]), *Cenſorinum* [d]) et *Caelium Rhodiginum* [e]).

§. XIII.

Περὶ διαίτης α'. *De Victus ratione I.*

Ed. *Lind.* p. 179. T. I. Ed. *Froben.* gr. p. 81. Ed. *Mercurial.* Sect. III. p. 179. Ed. *Foeſ.* p. 6. Sect. IV. Ed. *Chart.* p. 447. T. VI. Verſ. *Cornar.* p. 124.

Περὶ

z) L. περὶ ἑπταμήνε §. VIII. p. 173. et L. II. Epid. Sect. VI. p. 708. T. I. ed. *Lind.* quaedam leguntur huic argumento accommodatiſſima.

a) In Gloſſ. ſub voc. κίϑαρος.

b) §. VIII. p. 173. T. I. ed. *Lind.*

c) Noct. Attic. III. 16. p. 58. ed. *Aldin.*

d) De Die Natali c. VII. p. 44. ſequ. ed. *Lindenbrog.*

e) Antiqu. Lect. XI. 1. p. 551. ed. *Aldin.* XII. 12. et 13. p. 622. ſequ.

Περὶ διαίτης β'. *De Victus Ratione II.*

Ed. *Lind.* p. 210. T. I. Ed. *Froben.* gr. p. 90. Ed. *Mercurial.* Sect. III. p. 390. Ed. *Foës.* p. 20. Sect. IV. Ed. *Chart.* p. 463. T. VI. Vers. *Cornar.* p. 136.

Περὶ διαίτης γ'. *De Victus Ratione III.*

Ed. *Lind.* p. 241. Ed. *Froben.* gr. p. 99. Ed. *Mercurial.* Sect. III. p. 107. Ed. *Foës.* p. 34. Sect. IV. Ed. *Chart.* p. 478. T. VI. Vers. *Cornar.* p. 148.

Varii varia de horum librorum pretio et auctoritate, nec non de inscriptionis forma sentiunt. Omissos enim ab *Erotiano Galenus* modo περὶ διαίτης ὑγιεινῆς [f]) inscribit, aliisque dissentientibus HIPPOCRATIS nomini vendicat, modo per ὑγιεινὸν διαιτητικὸν [g]) exprimit, modo denique, vt hodie fieri solet, περὶ διαίτης [h]).

Etsi enim *Strabo* [i]) in gubernanda victus ratione, quam *Asclepiadae* [k]), incredibile, quantum neglexerant, HIPPOCRATEM principatum tenuisse prodidit memoriae, multis tamen abhinc seculis horum librorum auctoritas visa est dubia, cum argumenta ipsa tantopere a se inuicem abhorreant, et *Galenus* [l]) ipse huc illuc ferri videatur. Magna enim his in libris continetur *principiorum dissentio*, cum hic [m]) ex *aqua et igne*, alio

f) In L. Vict. Acut. Comm. I. 17. p. 15. T. XI. ed. *Chart.*
g) Comm. ad L. VI. Aph. 1. p. 248. P. II. T. IX. ed. *Chart.*
h) L. Aliment. Facult. I. 6. p. 314. T. VI. ed. *Chart.* et cit. l. c. 28. p. 329.
i) Georg. XIV. p. m. 657.
k) *Plato* ap. *Galen.* in L. ad *Thrasybul.* c. 33. p. 30. T. V. ed. *Chart.*
l) L. cit.
m) L. I. §. 4. p. 182. ed. *Lind.* T. I.

alio [n]) vero loco ex pluribus omnia repetantur. Sed hi libri quia iam olim in tres partes diuisi sunt, vt auctor *Galenus* [o]) est, eamus per singulos.

Primo igitur *libro* cum multa aliena leguntur et maximam partem ex *Heracliti* philosophia petita, tum solita HIPPOCRATIS magni ἀκρίβεια desideratur. Cuius tamen scriptionis, quae multis de caussis est commendabilis, commentarium quasi nostra aetate dedit *Io. Matth. Gesnerus* [p]), miraque cum doctrinae copia demonstrauit, eius auctori perspectam fuisse *seminum perennitatem aeternamque de corpore alio in aliud migrationem* cet.

Alter, Galeno [q]) iudice, nec indignus est HIPPOCRATIS auctoritate, quippe initium libri attulit, qui in editione Lindeniana §. VII. est, neque negat, alios, sic, vt nostrae editiones, a verbis, χωρίων δὲ θέσιν, initium facere, eumque olim seiunctum cum inscriptione περὶ διαίτης aut περὶ φύσεως ἀνθρώπε καὶ διαίτης in omnium manibus fuisse. Nihilo tamen secius eum modo *Philistioni Locro*, modo *Euryphonti Aristoniue*, denique *Philethae*, nescio, cui, attribui

n) In L. περὶ σαρκῶν init. p. 112. T. I. ed. *Lind.* et L. περὶ φύσιος ἀνθρώπε §. 5. p. 266. T. I. omnis corporis compages, si diem homo suum obiisset, in *humidum et siccum, calidum et frigidum*, quibus eius natura continetur, denuo arctissima deuinciri colligatione perhibetur, *simileque simili* se adiungere.

o) L. Aliment. Facult. I. 1. p. 306. ed. *Chart.*

p) In L. Ψυχαὶ Ἱπποκράτες Goetting. 1734. 4.

q) L. Alim. Facult. I. 1. p. 306. T. VI. ed. *Chart.*

bui auctor eſt, quorum plurimos conſtat inter omnes vixiſſe ante HIPPOCRATEM. Eſt vero huic libro cum priori quaedam quaſi *principiorum* conſpiratio, alimentorum vires atque naturae ex *dulci*, *aquoſo*, *acri*, *pingui* repetuntur, variaque edulia, quae apud Graecos vſu recepta erant, accurate explicantur; hinc tandem ſequuntur artis gymnaſticae praecepta.

Tertius tandem *liber*, quem, tanquam vere Hippocraticum *Galenus* [r]) cenſuit, exceptis iis particulis, quae *τὰ προσκείμενα τῷ περὶ διαίτης* appellat, et *Foëſius* [s]) de eo intelligendum eſſe putat, qui *περὶ διαίτης ὀξέων* inſcribitur, at quo iure, alii videant, cum multus ſit in *morbis* deſcribendis, qui *ex motu corporis aut nimio*, *aut iuſto remiſſiori* gigni et aggraueſcere ſoleant, cum *frictiones*, *vnctiones*, *balnea*, *curſus*, *alia*que *gymnaſiorum exercitia* incredibiliter commendet; factum eſt, vt *Clericus* [t]) multique viri haud contemnendi hunc potiſſimum librum ad *Herodicum* referendum eſſe ſibi perſuaderent. Reperias praeter haec etiam multa in his libris conſilia perridicula et ab medi-

r) L. cit. et Gloſſ. voc. *ἀκόνῃ*, quocum etiam conſentiunt *Plato* ap. *Galen.* L. Placit. *Platon.* et HIPP. VI. 3. p. 186. T. V. ed. *Chart.* et *Plutarchus* L. *De ſera Numin. Vindicta* p. 359. dicitur *μίξας πρῶτος ἀνθρώπων γυμναστικὴν ἰατρικῇ*.

s) L. Not. ad h. l. p. 110. Sect. IV.

t) Hiſt. de Medecin. P. I. L. III. 13. p. 177. cf. *Plato* Republ. III. d. 594. ed. *Froben.* Gymnaſticam vero *Homeri* aetate gloriam artis non adfectaſſe, ſed paullo ante *Platonem* exortam eſſe *Galenus* L. ad *Thraſybul.* c. 33. p. 30. T. VI. ed. *Chart.* auctor eſt.

medicina Hippocratica, mirum, quantum abhorrentia, *carnem catulorum ad debilitatem ventriculi auferendam valere plurimum; vini nigri haustus in quacunque voluuli forma praestare ceteris; largiorem vini puri* u) *vsum esse accommodatissimum*, id quod, si quid aliud, a veterum consuetudine penitus alienum est.

Negari tamen non potest, libros istos περὶ διαίτης ad ordinis iusti leges fuisse conscriptos et accommodate ad rem. Omnia enim, si pauca exceperis, bene pertractantur, in primis *quae ad victus rationem* pertinere posse videantur. Deinde auctor, qui demum cunque ille sit, *ratiocinia in medicina haud contemnendi vsus esse docuit; omnia fato subiici, vires alimentorum rite distingui oportere*, cet.

Varia autem *motus genera*, ἀκροχείρησις, χειρονομίη, κωρυκομαχίη, ἀλίνδησις, quorum ne vestigium quidem apud *Erotianum*, *Herodotum* et *Galenum* legere me memini, si cuius intellexisse interest, consulat, quaeso, *Io. Langium* v), *Hieron. Mercurialem* w) et *Io. Henr. Schulzium* x).

§. XIV.

u) Ad fin. L. III. §. 30. p. 263. T. I. ed. *Lind.* voc. μεθυσθῆναι vsus est, id quod semper de *largiori vini puri vsu* dicitur, *nulla aqua admista*, videbaturque sobrios homines dedecere. Cf. *Aelian. Var.* Hist. II. 37. p. 56. Locrensibus interdictum esse οἶνον ἄκρατον bibere et mortis supplicium constitutum, nisi medicus iusserit, et iterum Var. Hist. II. 41. p. 59. sequ. ed. *Kretschm.* vbi apud Scythas moris esse perhibetur πίνειν τὸ ἄκρατον.

v) Ep. Medicinal. L. I. Ep. 52. p. m. 240. sequ.

w) Art. Gymnastic. Amstel. 1675. 4.

x) Diss. de *Athletis veterum, eorum diaeta et habitu*, Hal. 1717. 4. Vescebantur autem Alexandriae vulgo *asinina et camelina* carne, *Gal.* L. Alim. Facult. I. 2. p. 310. T. VI. ed.

§. XIV.

Περὶ φύσιος ἀνθρώπου. *De Natura Hominis.*

Ed. *Lind.* p. 263. T. I. Ed. *Froben.* gr. p. 21. Ed. *Mercurial.* Sect. I. p. 4. Ed. *Foës.* p. 3. Sect. III. Ed. *Chart.* p. 91. T. III. Vers. *Cornar.* p. 30.

In huius libri pretio statuendo, cuius *Erotianus* [y]), *Galenus* [z]), *Palladius* [a]), *Macrobius* [aa]) meminerunt, dici vix potest, quam auctores a se inuicem dissentiant. *Galenus* [b]) enim sibi, vt solet, non constat, eumque modo verum iudicat, eosque, qui dubitant, iis particulis, quas fraude nefaria scimus adiectas, in errorem coniectos esse perhibet, in qua integritatis sententia fuisse

ed. *Chart.* athletae autem sumebant τροφὰς εὐχυμοτάτους, παχείας καὶ γλισχρὰς, quales sunt *caro suilla*, et praeter haec ἄρτους σκευαστοὺς, *Galen.* L. et cap. cit. p. 311. T. VI.

y) In Praefat. Gloss. p. 33. T. I. ed. *Chart.*

z) L. Placit. *Plat.* et HIPP. VIII. 4. p. 233. T. V. ed. *Chart.* L. Element. I. 8. 9. p. 15. sequ. T. III.

a) Comment. in L. de Fractur. ap. *Foës.* p. 247. Sect. VI. et ed. *Chart.* p. 271. T. XII.

aa) Saturnal. VII. 5. p. m. 521. Locus, quem in medium protulerat *Eustathius*, legas §. II. p. 265. T. I. ed. *Lind.* hac ratione: Ἐγὼ δὲ φημί, εἰ ἓν ἦν ὁ ἄνθρωπος, οὐδέ ποτ' ἂν ἤλγεεν· οὐδὲ γὰρ ἂν ἦν, ὑπὸ τοῦ ἀλγήσειεν ἓν ἐόν. At vero sic apud *Macrobium*: Εἰ ἓν ἦν ὁ ἄνθρωπος, οὐκ ἂν ἤλγεεν, ἀλγεῖ δὲ, οὐκ ἄρα ἓν ἐστί. Varietas lectionis vnde profecta sit, et quae praestantior sit, alii iudicent.

b) De Libr. Propr. p. 44. T. I. ed. *Chart.* eius integritatem contra calumniatores vendicatam esse contendit: In h. l. Comm. I. p. 95. T. III. L. Placit. *Plat.* et HIPP. VI. 3. p. 184. T. V. cf. *Plato* in *Phaedro*, vbi quaedam ex hoc libro adferuntur, eademque illa *Galenus* Comm. II. in h. l. p. 146. T. III. repetiit. Hinc patet, hunc librum esse perantiquum.

fuisse videtur etiam *Macrobius* [c]), modo in suppositorum numero collocat, et aut ad *Polybum* [d]) et *Thessalum* [e]) ab *Dioscoride* referri, aut etiam Sophistae ac veteratori [f]) recentiori deberi auctor est, cum hoc libro σύνοχος et ἐρήματα contineantur, idque a veterum more penitus abhorreat. *Mercurialis* priorem libri partem in classe prima putauit collocandam, *Foësius* [g]) vero illum, quo iure, non video, HIPPOCRATIS auctoritate vendicari et posse et debere affirmat.

Recte tamen, si quid video, id fieri posse *Hallerus* [h]) negat, etsi, vt fert ingenii humani imbecillitas, eum denuo [hh]) integrum esse censuit. Multum enim auctor, qui demum cunque ille sit, versatur in *explicanda febrium origine, eaque ex varia bilis natura repetenda; quatuor esse humores primigenios* contendit, quos tamen alio loco [i]) *duobus* conti-

c) L. cit.

d) Comm. II. ad h. l. 19. p. 146. T. III. ed. *Chart.* eum ob voc. ἐρήματα ἀντὶ τῶν ἔρων negat esse HIPPOCRATIS aut *Polybi*, etsi ab eorum opinione, qui omnem librum censebant reiiciendum, quam longissime alienus est. At vero Comm. II. in h. l. ait, hunc librum iam pridem multis visum fuisse a *Polybo* profectum, idque saltem certum est, apud *Aristotelem* Hist. Anim. III. 3. p. 241. T. II. ed. *Du Vall.* quaedam adferri nomine *Polybi de venarum origine*, quae hodie in h. l. et iisdem paene verbis libro περὶ φύσιος ὀςέων occurrunt.

e) In L. περὶ φύσιος ἀνθρώπε Comm. II. 1. p. 129. T. III. ed. *Chart.*

f) In h. l. Comm. II. 22. p. 149. T. III. ed. *Chart.*

g) In Not. ad h. l. p. 9. Sect. IV.

h) In *Boerh.* Method. Stud. Med. P. I. c. 3. p. 594.

hh) Art. Medicae Principes T. I. p. 33.

i) In L. περὶ διαίτης α'.

continineri voluit, immo vero reliquos confutandos cenſuit medicos, qui ex vno omnia omnino repetere conarentur. Deinde mirum in modum vſus eſt *ratiociniorum ſubtilitate* ad id genus doctrinas confirmandas, qualis eſt *doctrina de generatione*, diſſentiens quidem ab illa, quam alias propoſitam eſſe cognouimus, et a genuinis HIPPOCRATIS monimentis receditur quam longiſſime. Adfert tandem plurima ex libro περὶ φύσιος τῶν ὀςέων, cui cum falſitatis macula inuſta ſit, id et huic accidere neceſſe eſt.

Negare tamen non auſim, multis eum bonis excellere, qualis eſt *venarum deſcriptio*, quae etſi vitioſa eſt et *Galeno* k) in ſuppoſitis collocatur, tamen non temere ſpernenda eſt, multo minus vero Chinenſium libros ſapere cenſenda, vt *Hallero* kk) viſum eſt. Similiter *de ouo humano, eoque ſeptimo die foras dato* narratio, quae quatenus a vero diſſentiat, omnes intellecturos eſſe ſpero; *morbos contrariis curandos eſſe*, nec non *ad varias tempeſtatum viciſſitudines attendendum, aegrotationes corporis,*

k) In L. περὶ φύσιος ἀνθρώπε Comm. I. p. 94. T. III. edit. *Chart.* eum vel maxime reprobandum cenſuit, quia non penitus cum Epid. II. conſentire videatur, id quod tamen ſic explicat *Ariſtoteles* Hiſt. Anim. l. cit. vt hanc venarum deſcriptionem ex hominum morbo confectorum corporibus ſumtam repetitamque eſſe contenderet. At vero vlterius progreſſus *Galenus* eſt, et L. Placit. *Platon.* et HIPP. VI. 3. p. 186. T. V. ed. *Chart.* non modo hunc, verum etiam omnes omnino libros, quibus haec doctrina contineatur, ſuppoſitos eſſe, atque neque HIPPOCRATI, nec *Polybo* tribui vllo modo poſſe auctor eſt.

kk) Art. Medic. Princip. T. I. p. 34.

ris, quae populariter inuadant, ab aere repetendas esse. Huc accedunt *varia signa*, quorum beneficio medicus omnia rite possit discernere cet.

Reliquus vero liber περὶ φύσιος ἀνθρώπȣ, cum vulgo attribuatur *Democrito*, non est, quod in explicanda eius vilitate multus sim atque iusto verbosior. Dubito tamen vehementer, fore, vt quis hanc scriptionem philosophi auctoritate possit exornare. Non enim, nisi talem inscriptionem apud *Diogenem Laërtium* [1]) legere me memini, reliqua vero, quae in *bilis atque lienis natura* versantur, recentiora videntur *Democrito*. Deinde auctor totus est in figurarum studio, et incredibile, quantum his consectandis delectatur ineptiis.

Ecquid vero tam graui tantoque philosopho indignius, quam verba pueriliter aucupari, et calamistratum orationis genus adhibere? Ecquid veritati magis aduersum, quam aliquem virum, quem *Cicero tenuiter* et *perspicue* scripsisse pronunciarat, tanquam sophistam loquentem inducere?

§. XV.

De Sructura Hominis.

Ed. *Lind.* p. 284. T. I. *ad Perdiccam*, Macedonum Regem. Ed. *Chart.* p. 705. T. IV.

Librum hunc esse suppositum, vel ex eo colligas, quod in recentiorum medicorum similitudinem, qui post HIPPOCRATIS magni fata in anatomen incubuerant, *arteriae, venae, nerui, sedulo distinguantur, arteriae sanguinem et spiritum simul a corde per omnia vasa dicantur distribuere, triplex alimento-*

1) L. IX. sub voc. Δημόκριτος.

mentorum digeſtio ſtatuatur cet. adeoque, vt recte venerabilis ſenex, *Trillerus* [m]), monuit, HIPPOCRATE videtur longe recentior, etſi negare nullo modo auſim, magni huius viri aetatem, vt *Euſebius* [n]) auctor eſt, in *Perdiccae*, Macedonum regis, imperium incidere potuiſſe.

Continentur praeterea hac ſcriptione illa de *quatuor humoribus* doctrina, *ſpina dorſi ex viginti quatuor vertebris compoſita, inteſtinorum dimenſio* cet.

§. XVI.

Περὶ ἀνατομῆς. *De Reſectione.*

Ed. *Lind.* p. 287. T. I. Ed. *Froben.* gr. p. 54. Ed. *Mercurial.* Sect. IV. p. 47. Ed. *Foëſ.* p. 194. Sect. VI. Ed. *Chart.* p. 552. T. XII. Verſion. *Cornar.* p. 75.

Huius libri nec *Erotianus* meminit, neque *Galenus* [o]), etſi hic paſſim quaedam ex hoc libro ad veram neruorum notionem demonſtrandam in medium attuliſſe videatur. Cenſuit enim ea, cum HIPPOCRATIS auctoritate indigniſſima, tum ſolum ὑπομνηματικῶς conſcripta iudicat, non συγγραφικῶς. Quare id non poſſumus non vehementer dolere, quod eius libri περὶ τῆς Ἱπποκράτους ἀνατομῆς [p]), modo a promiſſis ſtetit, de quo vehementer dubito, magno cum diſciplinae huius damno perierunt. Qui cum hiſce de cauſſis non, niſi Ἐπιδημιῶν α΄. et γ΄. HIPPOCRATI deberi voluerit, id quod etiam hac exempli

m) Comm. De Noua Opp. HIPP. Edit. §. 4. p. 5.
n) Chronic. Can. p. 174. ed. *Scalig.*
o) In Comm. ad L. περὶ ἄρθρων. cf. In L. II. Epid. Sect. IV.
p) Adminiſtrat. Anatom. L. I. p. 26. T. IV. ed. *Chart.*

pli praeſtantia commotus noſtra aetate *Freindus* q) faciendum exiſtimauit, haec etiam περὶ ἀνατομῆς particula in ſuppoſitorum numero habenda eſt, tum variis de cauſſis, tum quod ex commentitio quodam HIPPOCRATIS libro r) ſumta ſit. Huc accedit, quod eo variae continentur voces Abderitanae, ῥυσμὸς cet. quae, auctore *Ariſtotele* s) propria quaſi et familiaris fuit *Democrito*, et hinc factum eſſe putem, vt hanc ſcriptionem ad magnum hunc referre philoſophum *Trillerus* t) haud dubitaret. Qui ſenex venerabilis cum in hunc libellum olim ſcripſerit commentationem, egregiam certe illam omnibusque numeris abſolutiſſimam, non poſſum non cum optimo quoque in votis habere, vt omnia HIPPOCRATIS opera eadem doctrinae praeſtantia fuiſſent elaborata et in vulgus edita. Sed, eheu:

Fugit interea, fugit irreparabile tempus,

neque licuit nobis fato, neſcio, quo ex tantis tamque praeclaris laboribus emolumenti quid doctorum hominum ſtudiis augurari.

§. XVII.

q) In Epid. L. Comm. I. p. 4.

r) Ex Ἐπιδημ. β΄.

s) Metaphyſ. I. 4. p. 268. T. IV. ed. *Du Vall.* Liceat nobis hic paucis monuiſſe, *Democriti* ſcribendi genus, vt *Cicero* Diuinat. II. 13. ſequ. memoriae prodidit, nullo modo fuiſſe obſcurum, vt vulgo creditur, ſed tenue atque perſpicuum.

t) Comment. in L. περὶ ἀνατομῆς, not. 2. p. 13.

§. XVII.

Περὶ καρδίης, *De Corde.*

Ed. *Lind.* p. 289. T. I. Ed. *Froben.* gr. p. 54. Ed. *Mercurial.* Sect. IV. p. 48. Ed. *Foës.* p. 50. Sect. III. Ed. *Chart* p. 269. T. IV. Verſ. *Cornar.* p. 75.

Silentio hunc libellum *Erotianus* atque *Galenus* praeterierunt, id quod certo eſt indicio, ſi vel alia nos deficerent, recentiori demum aetate conſcriptum eum eſſe. Repudiatus hic *Mercuriali* liber *Foëſio* v) ſaltem, tanquam libri περὶ σαρκῶν particula, habendus videtur arctiſſimaque colligatione deuinciendus, etſi eum negat eſſe HIPPOCRATIS, *cum neruorum originem et animi praecipuam facultatem in corde conſtituat.* Accedit, quod hac in ſcriptione nulla ſit temporum ratio habita, quia quae tunc temporis tantum non omnes fugiebant medicos, et *Eraſiſtrati* demum tempore innotuerunt, ea certe cuncta maiori luce colluſtret, miraque confirmet ἀσφαλείᾳ. Nam cum ad *Ariſtotelem* demum, tanquam inuentorem, *aortae laudes Galenus* w) referendas eſſe cenſeat, quem tandem horum erraſſe putabimus, cum ipſe huius libri auctor aortae iam meminerit?

Porro deſideres facile inter legendum breuitatem HIPPOCRATIS ſummamque accurationem, et praeter obſcura multa et incerta, qualis eſt abſurda illa veterum ſententia de *potus per aſperam arteriam ingreſſum,* cuius dux atque coryphaeus, au-

v) In Not. ad h. l. p. 119. Sect. III.

w) L. De Arter. et Venar. Diſſect. c. 9. T. IV. ed. *Chart.*

ctore *A. Gellio* [x]) *Alcaeus* fuit, qui in poëmatis ſcripſerat:

Τὸν τε πνεῦμονα οἴνῳ, τὸ γὰρ ἄκρον περιςέλλεται,

ſimiliterque ſenſerant *Philiſtion Locrus*, *Dioxippus* Hippocraticus alii, continentur hac ſcriptione *auriculae cordis, valuulae venoſae et arterioſae, latex pericardii atque ventriculorum* cet. ex quo id confici poſſe cenſeo, ſatis accuratam videri anatomes ſcientiam.

Quare cum communem illam veterum *de potus per aſperam arteriam delapſu* doctrinam, a qua ne *Plato* [y]) quidem immunis eſt, amplexus auctor libelli huius ſit, quisquis demum ille ſit, ad veterum ſcriptorum mentem et ſimilitudinem compoſuiſſe ſe videtur, vt, ab HIPPOCRATE profectus ſit, nec ne, difficile eſſet explicatu. *Ge. Segeri* Diſſ. *De* HIPPOCR. *L.* περὶ καρδίης *ortu legitimo*, quam *Hallerus* [z]) adfert, cum nunquam in manus venerit, qua ratione quibusue argumentis eius integritatem confirmarit, prorſus ignoramus. At vero *Io. Nardius* [a]) in hoc libello explicando melius et maiori cum accuratione videtur verſatus, quam cum ſimile quid in librum περὶ ὑγρῶν χρήσιος moliretur, etſi, ſi dicen-

x) Noct. Attic. XVII. 12. p. 246. ſeq. ed. *Aldin.* et *Macrob.* Saturnal. VII. 15. p. m. 559. ſequ. vbi conuerſionem quandam verba videntur ſubiiſſe.

y) *Gellius* l. cit. eamque *Platonem* ex HIPPOCRATE hauſiſſe memoriae prodidit *Plutarch.* Sympoſ. VII. 1. cf. *Clerc* Hiſt. de Medec. P. I. L. III. 3. p. 117.

z) In *Boerh.* Method. Stud. Med. P. I. c. 2. p. 373.

a) Noct. Genial. X. p. 685. ſequ.

dicendum, quod res eſt, non adeo magni momenti vterque labor habendus eſt.

§. XVIII.

Περὶ ὀςέων φύσιος. *De Oſſium Natura.*

Ed. *Lind.* p. 294. T. I. Ed. *Froben.* gr. p. 58. In hac ed. initium libri finis ap. *Linden.* eſt, et a verbis: Τὸ δὲ σπέρμα οἷον κήριον — nouum librum περὶ φλεβῶν *Lindenius* conflandum cenſuit. *Foëſius* vero orditur ab verb.: ὀςέα χειρὸς ἀκασιεπτὰ, eiusque Μοχλικός, cuius initium a verbis: Ὀςέον φύσις ſit, et cum verb. ἐκ μέσων ἐκπέφυκε καὶ παραίνεται definit, eſt ap. *Linden.* L. περὶ Ὀςέων φύσιος. Ed. *Mercurial.* Sect. II. p. 40. Ed. *Foëſ.* p. 56. Sect. III. Ed. *Chart.* p. 1. T. IV. quae ſimiliter, vt Frobeniana, incipit, et tandem p. 5. poſt verba: Τὰ ὀςέα τῷ σώματι ςάσιν, denuo pergit, a qua tamen part. L. περὶ φλεβῶν abrumpitur; Hinc ſi cuius haec penitius intelligere interſit, ipſum *Charterium* adeat: Verſion. *Cornar.* p. 81. qui etiam videtur *Foëſium* ſecutus. Hinc dici vix poteſt, quanta difficultatum multitudine hic liber laboret.

Librum hunc ſua haud deſtitui antiquitate nullus dubito, idque vel maxime hinc confici poſſe cenſeo, quod veterem illam doctrinam, qua *potus per aſperam arteriam defluere* putabatur, contineat. At vero cum eius nec *Erotianus*, nec *Galenus* b) meminerint, niſi, vt nobis quidem videtur, vno τȣ̃ Μοχλικȣ̃ nomine complectantur, conficitur, hanc περὶ ὀςέων φύσιος eorum temporibus Hippocrateis monimentis aut nondum adie-

b) L. Placit. *Platon.* et HIPP. VI. 3. p. 187. T. V. edit. *Chart.* vbi illam *de venarum origine et diſtributione* doctrinam neque ad HIPPOCRATEM, neque ad *Polybum* pertinere auctor eſt, et Gloſſ. voc. κοτυλίδα h. l. nomine τῶν προκειμένων τῷ μοχλικῷ videtur protuliſſe.

adiectum fuiſſe, aut ſaltem pro commentitio habitum, adeoque nec commemoratum. Huc accedit, quod mira hanc ſcriptionem cum illis περὶ γονῆς et περὶ φύσιος παιδίȣ ſimilitudo videtur intercedere, iisque de cauſſis, niſi me omnia fallunt, commotus *Foëſius* c) hos libros a communi auctore repetere non veritus eſt.

At *Ariſtoteles* d) huius libri meminit. Scio, neque tamen, tanquam ab HIPPOCRATE ſit profectus, ſed a *Polybo*, neque perfugio eo, quo vſus eſt *Clericus* e), opus eſſe exiſtimo. *Ariſtoteles* enim quo propius ab magni HIPPOCRATIS aetate abeſt, quippe, auctore DIONYSIO *Halicarnaſſeo* f), Olymp. XCIX. anno I. natus eſt, quo quidem tempore diuinus ſenex adhuc in viuis commemorabatur, eo maior ei data fuit copia veri auctoris indagandi.

Neque repetitiones, aliis in libris obuias, ad hanc auctoritatem demonſtrandam argumenti loco

c) In Not. ad h. l. p. 128. Sect. III.
d) Hiſt. Animal. III. 3. p. 241. T. II. ed. *Du Vall.*
e) Hiſt. de Medecin. P. I. L. III. 3. p. 113. Videtur *Clerico Ariſtoteles* commotus inuidia hunc librum *Polybo* potius, quam HIPPOCRRATI attribuiſſe, immo vero eam ob cauſſam non, niſi ſemel Polit. VII. p. 575. T. III. ed. *Du Vall.* HIPPOCRATIS meminiſſe, idque tantum ὡς ἐν παρόδῳ. Quod cum proprium quaſi ſit ARISTOTELI atque familiare, niſi cui dicam ſcribat, commemorare neminem, idque prae primis fecerit *Alcmaeoni Crotonienſi*, *Empedocli* atque *Democrito*, quorum ſcripta paſſim acriter perſtringenda cenſuit; quare HIPPOCRATIS nomini parceret, eique *Polybum* ſuccenturiaret, non video.
f) Ep. ad *Ammaeum* p. 121. P. II. ed. Lipſ.

co adhiberi poſſe cenſeo. Callida enim ſemper fuerunt hominum ingenia ad alios fallendos, adhibueruntque, quoad eius fieri potuit, maximam rerum atque verborum ſimilitudinem.

Eſt vero, quicquid *ad anatomes cognitionem* ſpectare videatur, mancum atque confuſum, continetque pleraque falſa, et hinc vix ac ne vix quidem digna, quae legantur. Deinde non ſatis reſpondet argumentis inſcriptio, videturque nata ex libri principio. Denique grauitas orationis Hippocraticae, dici vix poteſt, quantopere deſideretur.

Negari quidem non poteſt, hanc ſcriptionem ſuis gaudere bonis, iisque nec ſpernendis, ex quorum numero ſunt *veſiculae ſeminis*, quae tamen videntur iuſto obſcurius expreſſae cet. at vero repugnant tamen ſibi ſaepenumero argumenta, nec raro fallitur auctor in oſſium numero.

§. XIX.

Περὶ φλεβῶν. *De Venis.*

Ed. *Lind.* p. 297. T. I. Ed. *Froben.* gr. continetur praegreſſa ſcriptione, ſimiliterque factum eſt in ed. *Foëſ.* et *Chart.* et Verſ. *Cornar.* Ed. *Mercurial.* hab. Sect. II. p. 40.

Liber hic, quem *Erotianus*, *Galenus*, ceterique omnes ſilentio praeterierunt, primis Hippocrateorum monimentorum editionibus habitus eſt ſcriptionis περὶ ὀςέων φύσιος continuatio, et praepoſitus libello, qui Μοχλικὸς inſcribitur, vt *Galenus* g) memoriae prodidit. Sed cum certa fiat

g) In Gloſſ. voc. παρασάται.

fiat arteriarum a venis segregatio, atque rerum absurdissimarum plenus sit, venis, mirum, quantum paradoxi tribuat, quippe *in quatuor venarum origine* demonstranda versatur operosius, quam bis hodie memini me legere cum hac in scriptione, tum libello περὶ φύσιος ἀνθρώπȣ, olim vero, *Galeno* h) auctore, etiam in περὶ διαίτης β'. cet. facile ad perspiciendum est, eum ab integris HIPPOCRATIS magni monimentis esse eximendum.

Admissa tamen his ineptiis quaedam magni momenti, sunt, vt *cellulosa lienis fabrica; reciproca venarum repletio et inanitio; conspiratio venarum epigastricarum cum iis, quae ad mammas pertinent; vena sine pari, vena caua, venae artuum.* Similiter *de neruo intercostali* atque *octavo pare* quaedam haud contemnenda; *vesiculae seminis, quae in faui similitudinem vesicae adiectae sint; potus per asperam arteriam delapsum fieri nullo modo posse; singularis vena, quae* αἱμόῤῥοος *dicitur*, et subtilioris anatomes testis est, quam non, nisi post *Herophilum* commemorari videas cet.

§. XX.

Περὶ αἰῶνος. *De Aetate.*

Ed. *Lind.* p. 312. T. I. Ed. *Froben.* gr. p. 43. ibique finem libri περὶ σαρκῶν constituit, id quod etiam fecit *Foës.* p. 34. Sect. III.

Libellus et perbreuis est, et ab Hippocratica orationis grauitate alienissimus. Quare non possumus

h) L. Placit. *Platon.* et HIPP. VI. 3. p. 186. T. V. edit. *Chart.*

ſumus non eum in ſuppoſitorum numero collocare, in primis cum illa *de ouo humano* doctrina, quam alias περὶ παιδίȣ φύσιος in medium allatam vidimus, hic denuo recoquatur, meretricumque vſu et auctoritate confirmetur. His igitur aliisque rebus compulſi multi, iique longe doctiſſimi viri haud veriti ſunt in eam ingredi ſententiam, vt hanc ſcriptionem veluti particulam libri περὶ ἀρχῶν ἢ σαρκῶν vltimam habendam eſſe iudicarent. *Philonis* vero teſtimonio nihil, ſi quid video, concedendum eſt, cum ex hoc περὶ αἰῶνος ſua repetiiſſe cenſendus ſit. Mihi quidem idem ille liber videtur, cuius *Galenus* [i]) et *Aëtius* [k]) nomine περὶ ἑβδομάδος meminerunt; cui *numero ſeptenario* quae et quanta vis inſita quaſi ſit ac ingenerata, multis *Varro* apud *A. Gellium* [l]), *Clemens Alexandrinus* [m]), *Alexander Aphrodiſieus* [n]), *Macrobius* [o]) et *Caelius Rhodiginus* [p]) ſibi ſumſerunt demonſtrandum. Quare *ſeptenarii* huius *numeri* commemoratione eo adducor, vt hunc librum a philoſopho quodam Pythagoraeo profectum potius

i) In Gloſſ. voc. αὐτόδρομον et Comm. III. in L. de Aëre, p. 202. T. VI. ed. *Chart.* vbi eum in ſuppoſitorum numero collocare haud veretur. cf. In VI. Epid. Comm. V. 5. p. 517. T. IX. et in L. II. Aph. 34. Comm. II. P. II. T. IX.

k) Tetrabibl. II. Serm. I. 83. p. 213. Coll. *Steph. Cenſorin.* De Die Natal. c. 14. p. 91. *Pollux* Onomaſt. II. 1.

l) Noct. Attic. III. 10. p. 54. ſequ. ed. *Aldin.*

m) Strom. VI. p. 473. ed. Lugd. Bat.

n) L. II. Probl. 47.

o) In Somn. *Scip.* c. 5. p. 24. ſequ.

p) Lect. Antiqu. II. 54. p. 102. ed. *Aldin.* X. 61. 62. p. 544. ſequ. cf. de numerorum vi et praeſtantia L. XII. 7. p. 619. ſequ.

tius esse mihi persuadeam, quos constat inter omnes in medicinae et sapientiae studiis omnem operam omneque tempus collocasse.

Continentur tamen, vt id vnum addamus, hac scriptione *horror*, *calor*, *torpor*, *nausea*, *convulsio*, *aliaque multa*, *quae feminae*, *accepto semine*, *solent accidere*, *anatomes scientia haud contemnenda* cet.

§. XXI.

Περὶ χυμῶν. *De Humoribus.*

Ed. *Lind.* p. 315. T. I. Ed. *Froben.* gr. p. 100. sed simul adiicitur: Πλὴν ἐστιν εὑρεῖν, τινὰ μὲν ἐς βραχυλογίαν ἐσχάτην ἐσφυγμένα, τινὰ δὲ ἐκτεταγμένα τῶ συμμέτρου πλέον. Ed. *Mercurial.* Sect. I. p. 358. Ed. *Foës.* p. 14. Sect. II. Ed. *Chart.* p. 508. T. VIII. Vers. *Cornar.* p. 167.

Commemoratu dignissimum hunc librum existimarunt *Erotianus* [q]), atque *Palladius* [qq]), prae ceteris vero *Galenus* [r]), qui, dici vix potest, quantopere in huius auctoritate demonstranda a seipso dissentiat. Modo enim HIPPOCRATI ferendum in acceptis esse perhibet [s]), in quo consentientes *Foësium* [t]) et *Hallerum* [u]) habet, modo [v]) multos

q) In Praefat. Gloss. p. 33. T. I. ed. *Chart.* et voc. φῦσαν.

qq) Comment. in L. de Fractur. ap. *Foës.* p. 147. Sect. VI. et ed. *Chart.* p. 271. T. XII.

r) In Gloss. voc. θήριον, et in L. I. Aph. 20. Comm. p. 37. In II. Epid. Comm. II. 9. p. 130. P. II. T. IX. ed. *Chart.*

s) In VI. Epid. Comm. III. 44. p. 472. et init. Comm. IV. p. 475. P. II. T. IX. ed. *Chart.*

t) In Not. ad h. l. p. 83. Sect. II.

u) In *Boerh.* Method. Stud. Med. T. II. P. IX. p. 6. et Medicae Art. Princip. p. 89. T. I.

v) In L. περὶ χυμῶν Comm. I. Praefat. p. 508. T. VIII. ed. *Chart.*

tos adfert in vtramque partem diſceptantes, quorum alii negant eſſe hanc ſcriptionem HIPPOCRATIS, alii vero, vt *Glaucias*, ad alium referunt HIPPOCRATEM, alii *Theſſalo Polybo*ue tribuunt, alii denique de libri ſolliciti principio magnam ſibi diſſenſionem reperiſſe perſuadent, et *Ptolomaeorum* tempore multa molis gratia fuiſſe adiecta litteris reliquerunt conſignatum. Quid? quod hunc commentariis *Galenus* w) non modo ſumſit illuſtrandum, verum etiam ſua omnia *Platonem*, *Ariſtotelem*, *Theophraſtum*, ceterosque philoſophos, nec non veteres medicos, *Dioclem*, *Pliſtonicum*, *Mneſitheum*, *Praxagoram*, *Herophilum* cet. ſi quid boni de humorum natura docuerint, ex hac HIPPOCRATIS magni ſcriptione repetiiſſe prodidit memoriae.

Sed prohibent nos, quo minus magnis his viris adſentiamus, et *Hier. Mercurialis* auctoritas, qui eum ſecundae claſſi adſignauit, et argumentorum ſubtilitas atque taedioſa plurimorum aphoriſmorum repetitio, quae conſuetudo fidem ſibi faciendi olim impoſtoribus communis quaſi fuit atque propria, Repetuntur deinde cuncta magno cum ingenii acumine a *varia bilis ſanguinisque natura*. Denique conſcriptus liber eſt Hippocratea breuitate, ſed ſic, vt propter inepte imitandi ſtudium obſcuritatem potius reperias, atque neglecto omni penitus ordine, in morborum ſignis cauſisque explicandis ad ſimilitudinem Ἐπιδημιῶν

w) L. Natural. Facult. II. 8. et L. Placit. *Platon.* et HIPP. VIII. 5.

δημιῶν α΄. quem fere ad verbum exprimit, effinxiſſe auctor, qui demum cunque ille ſit, ſe vel maxime videatur. Hinc in eam ingredior ſententiam, hunc περὶ χυμῶν librum ad virum eundem, cui liber περὶ Φύσιος ἀνθρώπυ debetur, eſſe referendum.

Lectu vero eſt digniſſimus, cum ſuis bonis non deſtituatur, *in cauſſis valitudinis aduerſae indagandis tempeſtatum viciſſitudines, regionum ſitus, victusque rationem attendi oportere* cet,

§. XXII.

Περὶ τόπων τῶν κατ᾽ ἄνθρωπον. *De Locis in Homine.*

Ed. *Lind.* p. 363. T. I. Ed. *Froben.* gr. p. 63. Ed. *Chart.* p. 357. T. VII. Sed harum binarum editionum finis τὰ γυναικεῖα νοσεύματα καλεύμενα κὴ ὑσέραι conſtituit initium libri ſecundi de *morbis mulierum* in ed. *Lind.* Ed. *Mercurial.* Sect. II. p. 1. Ed. *Foëſ.* p. 78. Sect. IV. Verſ. *Cornar.* p. 88.

Laborat hic liber ſimiliter, vt ille περὶ χυμῶν, ratiociniorum multitudine, referunturque omnia omnino ad *deſtillationum doctrinam*, id quod et praeſertim in ſcriptione illa περὶ ἀδένων factum eſt. Qua de re hi bini libri aut ab eodem auctore videntur compoſiti, aut a quoquam alio huius doctrinae ſtudioſo fuiſſe profecti.

Sed, mirum, quantum in eius pretio ſtatuendo diſſentiant ſcriptores cum veteres tum recentiores. *Erotianus* x) enim, *Caelius Aurelianus* y), *Gale-*

x) In Praef. Gloſſ. p. 33. T. I. ed. *Chart.* et Gloſſ. voc. ἀτρεκέως, γονοειδὲς.

y) Morb. Diut. V. 1. p. 556. ed. Amſtel.

Galenus [z]), *Ruffus* [a]), *Athenaeus*, noſtra vero aetate in primis *Clericus* [b]) et *Hallerus* [c]), cum et HIPPOCRATIS nomine allegant, et tanti viri grauitate digniſſimum iudicant. At vero hanc auctoritatem prae ceteris reprobandam cenſuerunt *Hier. Mercurialis*, qui eum in ſecundam claſſem putauit referendum, in primis vero *Duretus* atque *Reineſius* [d]), quorum alter repugnantiarum commotus multitudine, quas ei cum libro, qui Κοάκαι Προγνώσεις inſcribitur, et paene ſolus HIPPOCRATIS eſſe exiſtimatur, videbantur intercedere, alter vero propter *ſeptem coſtarum vitium* ab integris diuini ſenis monimentis quam longiſſime abeſſe iuſſerat, et poſt *Ariſtotelis* demum fata compoſitum eſſe voluerat. Accedit, quod in venarum origine demonſtranda magna facta eſt defectio a ceteris HIPPOCRATIS magni doctrinis, *deſtillationes*que *capitis ſeptem* dari, ex Cnidiorum inſtituto perhibentur.

Quae vero ſpectant ad *anatomes ſcientiam*, videntur non abs re eſſe, *auditus atque viſus ratio*, nec non *membranae oculorum et cerebri* praeclare explicantur, exceptis iis, quae *de malleoli ſectione, tanquam impotentiae virorum cauſſa*, verſantur; porro

z) In Gloſſ. voc. θυρίον κρημνοί, et L. Natural. Facult. II. quaedam ex hoc libro videtur explicaſſe.

a) De Corp. Human. Part. Appellat. alter. L. I. c. 1. p. 111, Coll. *Steph.*

b) Hiſt. de Medec. P. I. L. III. 3. p. 120.

c) In *Boerh.* Meth. Stud. Med. P. IX. T. II. p. 7. et Medic. Art. Princip. T. I. p. 51.

d) Var. Lect. p. 75.

ro *neruorum quaedum ſcientia, articulorum latex; inflammationes pulmonum habentur periculoſiſſimae, laterumque morbi,* quem graeci dicunt πλευριτικὸν, *curatio* haud multum a verae medicinae praeceptis abhorrens commendatur. Porro *alieniſſimus ab nimio gymnaſticae artis ſtudio et conſectatione* auctor eſt; *medicinam contra firmis inniti placitis,* adeoque *ſcientiae nomine digniſſimam videri; morbi natura nondum cognita, ab vehementium remediorum vſu abſtinendum eſſe, medicum fortunam haud vereri,* cum, vt *Celſus* e) memoriae prodidit, *adeo in medicina, etiam vbi perpetuum eſt, quod fieri debet, non tamen perpetuum ſit, quod ſequi conuenit* cet.

§. XXIII.

Περὶ φυσῶν. *De Flatibus.*

Ed. *Lind.* p. 299. T. I. Ed. *Froben.* gr. p. 117. Ed. *Mercurial.* Sect. II. p. 23. Ed. *Foëſ.* p. 78. Sect. III. Ed. *Chart.* p. 213. T. VI. Verſion. *Cornar.* p. 117.

Librum hunc ad HIPPOCRATEM referre non dubitarunt, *Erotianus* f) atque *Galenus;* At vero negat et pernegat *Clericus* g), idque, ſi quid video, iure ſuo. Conſcriptus enim ſumma eloquentiae vi lucidoque ordine eſt, atque tanta ingenii acumine, nihil vt ſupra. Hinc commotum *Halle-*

e) De Medicina L. VII. 12. p. 446. ed. *Krauſ.* cf. Prognoſt. HIPP. §. I. p. 447. T. I. ed. *Lind.* et recte, auctore *Tullio* L. de Inuention. I. 5. inter finem *artificis et officium* diſtinguendum eſt.

f) In Praef. Gloſſ. p. 33. T. I. ed. *Chart.* et Gloſſ. voc. φύσαι.

g) Hiſt. de Medecine P. I. L. III. 4. p. 137.

Hallerum h) fuiſſe cenſeo, vt eum aut ad aliquem ex *Anaximenis* ſchola progreſſum remitteret, aut medico Pneumatico, neſcio, cui, deberi ſibi haberet perſuaſiſſimum.

In HIPPOCRATEM enim nec ea ſingularis cadit ſubtilitas, qua *vniuerſa aegrotationum corporis caterua repeti a flatibus ſolet*, quippe *hi et deſtillationes*, vt *Plato* i) litteris reliquit conſignatum, tunc temporis erant nomina noua, atque ex morum corruptione, veluti foecunda id genus malorum matre, prognatae, nec orationis ad probabilitatem conciliandam vis tanti viri gloria digna eſt.

Attamen cum variis gaudeat decretis, iisque haud contemnendis, eum legiſſe, credo, poenitebit pigebitue neminem. Sunt vero prae ceteris commemoratu digniſſima, *medicum, quo magis ſponte ſua in vitae diſcrimen incurrat aliis opem allaturus, eo pluris aeſtimandum eſſe; ratiociniorum vim experientiae vſuique eſſe adiungendam; cauſſas morborum in primis indagandas; contraria contrariis perſananda eſſe; ex flatibus omnes omnino aegrotationes corporis profluere* cet. Quod cum patrum memoria multi perſpicerent, quanto nouarum rerum deſiderio teneantur hominum animi, non defuerunt, qui hanc *de flatibus* doctrinam denuo recoquerent, miraque in ea demonſtranda vterentur ſubtilitate. Sed haec obiter.

h) In *Boerh.* Method. Stud. Med. P. IX. T. II. p. 7. conf. Princip. Art. Medic. p. 433. T. III.

i) De Republ. III. p. 594. ed. *Frob.*

§. XXIV.

Περὶ ἀδένων. *De Glandulis.*

Ed. *Lind.* p. 414. T. I. Ed. *Froben.* gr. p. 56. Ed. *Mercurial.* Sect. IV. p. 51. Ed. *Foës.* p. 52. Sect. III. Ed. *Chart.* p. 271. T. IV. Version. *Cornar.* p. 78.

Hic liber, qui in omnibus editionibus *περὶ ἀδένων* inſcribitur, alias [k]) *Περὶ ἀδένων οὐλομελίης* in fronte gerit, iisdemque fere verbis incipit. Qui cum ab *Erotiano* praeteritus ſilentio ſit, *Galeno* [l]) contra in ſuppoſitorum numero habitus iuniorique addictus medico, partim quod ſcribendi genus et argumentum plane a genuinis HIPPOCRATIS magni monimentis diſſentiat, partim quod nullus veterum huius ſcriptionis meminerit; non eſt, quod in eius auctoritate aduerſus iſtos viros defendenda iuſto ſim verboſior, in primis cum ob doctrinae ſimilitudinem, qua *ſingulae aegrotationum corporis formae deſtillationibus deberi* perhibentur, ab eodem, cuius liber *περὶ τόπων τῶν κατ' ἄνθρωπον* eſt, auctore profectus eſſe atque in eo praeter haec et Hippocrateae orationis breuitas, et doctrinae conſpiratio deſiderari poſſe videatur.

Neque tamen ſuis deſtituitur praeclare dictis, quorum in numero ſunt *quaedam glandularum meſenterii veſtigia, glandulae renum atque articulorum; muci natura et vſus; cerebri naturam a glandularum ſimilitudine propius abeſſe; glandulas ad pilos procreandos*

k) In L. περὶ ἄρθρων §. XII. p. 768. T. II. ed. *Lind.*

l) In L. de Articul. Comment. I. 46. p. 134. T. XII. edit. *Chart.*

dos videri vel maxime appositas; inflammationes glandularum ab humorum quiete atque mora repeti oportere; miram inter mammas et vterum conspirationem et contagionem quasi intercedere, mammarumque amputationem varios pectoris morbos excipere; sanguinem album ex glandula laesa profluere, vnde id confici posse videtur, auctorem huius scriptionis, qui demum cunque ille sit, in vas quoddam lymphaticum incidisse; *sanguinem* vero *album* diis ab *Homero* m) tribui, latebit, puto, neminem.

§. XXV.

De Significatione Vitae et Mortis.

Ed. *Lind.* p. 422. T. I.

In eandem, quam ille *De Structura Hominis ad Perdiccam, Macedonum Regem*, incurrere videtur reprehensionem, adeoque iure suo, tamquam HIPPOCRATIS magni nomine, indignissimum, cum *Trillerus* n) reprobandum censuit. Desideres enim hac in scriptione vel maxime diuini senis auctoritatem argumentorumque grauitatem, nihilque magis fluxum est atque mutabile, quam *ex astrorum vicissitudinibus valitudinis aduersae signa* repetere, adeoque, me iudice, ad astrologum potius nugatorem, quam HIPPOCRATEM obseruatorem referenda videtur, cuius *de tempestatum caelique mutationibus* doctrinam si tua scire intersit, optime omnium praeclaro illo quidem libro, et summis efferendo laudibus περὶ ἀέρων, ὑδά-

m) Il. ε΄. v. 340. 416.

n) Comment. de noua Opp. HIPP. edit. §. IV. p. 5.

ὑδάτων καὶ τόπων, contineri commemorarique videas.

§. XXVI.

Περὶ κρισίμων. *De Diebus Iudicatoriis.*

Ed. *Lind.* p. 432. T. I. Ed. *Froben.* gr. p. 388. Ed. *Mercurial.* Sect. I. p. 431. Ed. *Foës.* p. 24. Sect. II. Ed. *Chart.* p. 373. T. VIII. Verſ. *Cornar.* p. 514.

Ne nominis quidem veſtigium apud *Erotianum* reperire me memini, etſi *Galenus* o) hos potiſſimum libros in demonſtranda *dierum iudicatoriorum* doctrina ſecutus eſſe dicitur, maximamque partem ex veris et integris diuini ſenis monimentis exſcriptus videtur, vt ſuo iam tempore praeſenſerat *Foëſius* p), et eodem, quo ille περὶ κρισίων, integritatis iure priuandum eſſe dixerat. Quidni igitur ſuſpicionem moueat, ne forte, multo temporis ſpatio interiecto, Hippocrateis libris dolo malo fuerit adſutus? Idque cum primis exinde patet, quod fere ad verbum illam περὶ τῶν ἐντὸς παθῶν ſcriptionem referat. Quam cum et ob vagas notiones, et nomina morborum temeraria Cnidiorum cuidam medico deberi omnes omnino conſentiant, facile intellectu eſt, hanc quoque infamiae notam prae ceteris huic libello eſſe inurendam. Coaceruantur enim ſimiliter temere, nec rei accommodate *morborum formae*, quorum in numero ſunt *tres tetani* ſpecies, idque *Galeno* q) auctore, Cnidiorum eſt.

Eorum

o) De Libr. Propr. c. 6. p. 44. T. I. ed. *Chart.*

p) In Not. ad h. l. p. 39. Sect. II.

q) In L. de Aliment. Comm. III. 34. p. 282. T. IV. edit. *Chart.* et in L. Vict. Acut. Comment. I. 7. p. 5. T. XI.

Eorum vero, quae prae reliquis commemoratu digna videantur, praecipua eſt *inflammationis pulmonum* enarratio, quae, dici vix poteſt, quam bene naturae reſpondeat; *acutos morbos a bile profluere; coxarum morbum a ſolis, madorem articulorum difflantis calore eſſe repetendum; febres acutas, ſi ſexageſimum diem exceſſerint, in longorum morborum numero collocari oportere* cet.

§. XXVII.

Περὶ κρίσιων. *De Iudicationibus.*

Ed. *Lind.* p. 438. T. I. Ed. *Froben.* gr. p. 385. Ed. *Mercurial.* Sect. III. p. 425. Ed. *Foëſ.* p. 20. Sect. II. Ed. *Chart.* p. 368. T. VIII. Verſ. *Cornar.* p. 510.

Exſplendeſcit hic liber, cuius ne meminit quidem *Erotianus*, Hippocratea orationis breuitate, at vero, diuini ſenis grauitas et accuratio inſit, nec ne, aliis iudicandum relinquimus. Recte ſaltem ſenſiſſe videtur *Foëſius* r), cum *eum parum integrum, ſed varie ex aphoriſmis, praenotionibus aliisque Hippocrateis libris conſarcinatum* exiſtimaret. Aphoriſmorum enim multitudine auctor, quisquis tandem ille ſit, conciliare ſibi audet probabilitatem, atque loca, dici vix poteſt, quam multa ex libro περὶ τόπων τῶν κατ᾽ ἄνθρωπον, quem inter ſuppoſitos retulimus, adferre ſoleat. Huc accedit, quod *vini puri hauſtus ad ſomnum vsque in voluulo* commendatur. Quod cum et turpe apud graecos haberetur et Cnidiis medicis proprium quaſi eſſet atque familiare; probabiliter hinc confici

r) In Not. ad h. l. p. 37. Sect. II.

fici posse arbitror, hoc scriptum ab aliquo huius scholae discipulo profectum elucubratumque esse, collectis vndiquaque iis omnibus, quae huc vllo modo pertinere videantur.

Commemoranda est *iusta dierum iudicatoriorum doctrina, morbos acutos in quatuordecim dies iudicari; varia sudoris, vrinae, alui, signa morbique prioris in alium migrationem attendi oportere* cet.

§. XXVIII.

Προῤῥητικὸν α΄. *Praedictionum I.*

Ed. *Lind.* p. 471. T. I. Ed. *Froben.* gr. p. 409. Ed. *Mercurial.* Sect. III. p. 435. Ed. *Foës.* p. 44. Sect. II. Ed. *Chart.* p. 692. T. VIII. Version. *Cornar.* p. 542.

HIPPOCRATI hunc librum acceptum ferendum esse negat et pernegat *Erotianus* [s]), atque *Caelius Aurelianus* [t]) non, nisi vnius meminit, id quod, etiam *Galenus* [tt]) fecit, et si quid video de priori hoc videtur intelligendum. Sed aliter *Foësius* [u]): *Verborum pondere, sententiarum grauitate, stili magnitudine, et breuitatis conscriptione tam facile* HIPPOCRATIS *maiestatem testatur, vt minime abdicari queat. Quin etiam doctrinae genere et dictionis nouitate ac tractationis serie cum coacis praesagiis tam aperte conspirat, vt ex iisdem ducantur fontibus, et vtriusque idem auctor esse videatur.* Quod si verum est, *Foësius* saltem sibi non constitisse censendus est,

s) In Praefat. Gloss. p. 33. T. I. ed. *Chart.*
t) Morb. Acut. I. 12. p. 39. III. 15. p. 227. ed. Amstel.
tt) L. De Comate c. 1. p. 192. T. VII. ed. *Chart.* vbi principium huius libelli primi adfertur. cf. c. 3. p. 198.
u) In Praefat. ad h. l. p. 43. Sect. II.

eſt, cum easdem illas alio loco v) multis de cauſſis exiſtimarit reprobandas, adeoque haec ſcriptio in eorum ponenda videtur numero, qui, quadam argumentorum adhibita ſimilitudine, monimenta Hippocratea integra cupiunt imitando adſequi, at vero nec orationis formam bene callent exprimere, nec ad eius doctrinam ſe rite componunt. Conſcriptus enim hic liber eſt vocibus obſoletis et barbaris, quas fruſtra apud HIPPOCRATEM quaeri *Galenus* w) auctor eſt, morborum notiones incredibiliter inter ſe miſcentur, obſcuritatis videtur conſilio deditaque opera haberi ratio, iisque de cauſſis compulſi perquam multi eum iam priſcis temporibus HIPPOCRATIS magni auctoritate putarunt indigniſſimum. Deinde auctor, qui demum cunque ille ſit, male verſatur in praeſagiendo, nec Hippocrateam praeſtantiam et acumen, cuius beneficio a rebus ſingulis ad vniuerſas progrediendum eſt, nullo modo attigiſſe putandus eſt, ſed potius, omni neglecta perſpicuitate, incertus dicam, an mutabilis haeret in ſingulis obſeruationibus exindeque eliciendis decretis iis, quae Graeci dicunt *ἀξιώματα*. Denique *Galenus* x), cui qua de cauſſa fidem recuſemus, non video, hanc ſcriptionem ab HIPPOCRATE pro-

v) In Praef. ad Coac. Praenot. p. 97. Sect. II.

w) In III. Epid. Comm. III. 32. p. 268. T. IX. ed. *Chart.* Continentur enim hac ſcriptione *σολοικώδεες κατὰ τὴν λέξιν ῥήσεις* et mirae verborum compoſitiones, *Gal.* in L. I. Praedict. Comm. I. 4. p. 699. T. VIII. cf. Comm. III. in h. l. 95. p. 764.

x) In L. I. Praedict. Comm. I. 34. p. 722. T. VIII. et in II. Epid. Comm. III. 9. p. 161. T. IX. ed. *Chart.*

profectam esse negat. Innumeris enim scatet erroribus, qui medici gloriae, si imprudentius eis fidat, detrimento esse possint, eumque aliorum exponere ludibrio, et quicquid praeclari hic continetur, maximam partem ex Ἐπιδημιῶν α′ et β′ repetitum est, id quod iis, qui HIPPOCRATIS vsu et consuetudine vtuntur, facili perspectu est. Id vnum dolendum esse censeo, quod *Galenus* y) hac in rerum inconstantia haereat ambiguus, eumque modo ad *Thessalum*, modo ad *Draconem* referat, quem secutus *Io. Neander* z) fuisse videtur.

Scitu digna sunt, *cuncta in morbi natura et euentis cognoscendis adhiberi signa oportere; conuulsiones, quae ab vteri strangulatione nascantur, sine febre esse, nec adeo pertimescendas; larga sanguinis profluuia, et saepius corpus reddere conuulsionibus obnoxium, et venaesectione leuari*, cet.

§. XXIX.

Κωακαὶ προγνώσεις. *Coacae Praenotiones.*

Ed. *Lind.* p. 522. T. I. Ed. *Froben.* gr. p. 424. Ed. *Mercurial.* Sect. III. p. 463. Ed. *Foës.* p. 96. Sect. II. Ed. *Chart.* p. 853. T. VIII. Vers. *Cornar.* p. 563.

Has ad HIPPOCRATEM nullo modo pertinere posse, etsi maximam partem ex libris, qui προγνωστικὸν et προῤῥητικὸν dicuntur, originem duxisse videantur, vel ex eo licet colligere, quod

y) In L. I. Praedict. Comm. II. 52. p. 736. T. VIII. edit. *Chart.*

z) Natalit. Medicin. p. 37.

quod veteres paene omnes aut hanc ſcriptionem ſilentio praetereant, vt *Erotianus*, aut in *Galeni* a) ſimilitudinem non, niſi obiter eius meminerint. Patrum vero memoria *Foëſius* b), dici vix poteſt, quam praeclare, quam grauiter in eius vilitate demonſtranda verſatus ſit. *Quotusquisque eſt, qui coaca haec praeſagia ad* HIPPOCRATIS *Coi foetus aut clariſſimam Aſclepiadarum familiam referat? Cum et multa ſint toto genere diſſentanea, plurima temere adſuta, nonnulla dictionis quadam vbertate redundantia, nouata quaedam et ipſo dicendi genere inſolentia, ad ſummum, ex multis genuinis* HIPPOCRATIS *ſcriptis conſarcinata quaedam fartura, et velut ex aduerſariis pugillaribus in memoriae ſubſidium comparatis, nullo delectu aut ordine, quaſi in promptuarium quoddam centones, tumultuarie conditi. Nam et in his, vt in plerisque Hippocrateis monimentis, genera etiam falſa ſunt, et velut ad plebem tranſitiones plurimae, cum homines humiliores in alienum eiusdem nominis infunduntur genus, quo facilius tantae familiae claritas nobis imponeret, et animorum noſtrorum aciem nominis ſplendor perſtringeret. Ad haec non rara rerum ac verborum inſolentia, ambiguitas, ſcribendi nouitas, tam crebrae fortuitorum euentorum concurſiones, ex quibus, tanquam ex obſeruatione quadam, praeſagiorum decreta*

a) In Gloſſ. voc. ἄνθεα. et in II. Epid. Comm. II. 3. p. 126. et Comm. III. 7. p. 158. 160. nec non in III. Epid. Comm. I. 4. p. 201. HIPPOCRATIS eſſe negauit. Comm. I. 29. p. 227. T. IX. ed. *Chart.*

b) In Praefat. ad Coac. Praenot. p. 97. Sect. II. Hinc eum aut alicui ex HIPP. familia, aut ipſi illi, qui προῤῥητικὸν compoſuit, ob orationis ſimilitudinem attribuit.

ta eruuntur, ac iisdem de rebus ſaepe quaſi dicta redduntur, vt vel ex iisdem paene verborum praeſtigiis limata quaedam rerum et verborum tenuitas exiſtat, quae tantam interdum obſcuritatem parit, vt ſors ipſa ad ſortes paene referenda ſit.

Neque tamen defuere, qui quiduis potius, quam huius libri auctoritatem eripi ſibi paterentur, ſed pro eius integritate, tanquam pro aris et focis contenderent. *Duretum* enim, quantus quantus eſt, hac in re aliter ſenſiſſe, ac ſuo aduerſus hanc ſcriptionem amori dediſſe omnia, veritati nihil, quis eſt, qui neſciat? Nonne ad tanti viri grauitatem compoſitus *Th. Bartholinus* c): *Coacae praenotiones,* inquit, *ex* HIPPOCRATE *ſeliguntur?* Sed temere, nec rei appoſite. Deſideres enim, modo in hoc libro legendo verſeris attentius, et Hippocrateam accurationem, et *ἀσφαλείαν.* Deinde miro inter ſe modo confunduntur praeſagia, quorum ita comparata eſt ratio, vt vix ac ne vix quidem in aegrotationibus corporis ſimiliter accidant, aut ad eas obſeruationum leges, quas tuto ſequi liceat, conſcripta videantur, in quo (fateor enim) nobiſcum ſtare nec *Galenus* d) veretur. Non enim, niſi lubrico morborum ſingulorum, nec rite perſpectorum fundamento innituntur, adeoque non tam temere, tam imprudenter efformanda videntur placita, quae dicunt *ἀξιώματα.* Accedit, quod multis in locis adeo textus

c) Diſſ. III. De Libris Legendis p. 66.

d) In III. Epid. Comment. II. Praefat. p. 230. T. IX.

textus laborat mendarum vitiis, vt eis fruſtra criticam manum admouere velle videaris.

Neque tamen omni deſtituitur vtilitate. Si quis enim animo firmo beneque munito pectore ad huius libri lectionem acceſſerit, facile erit a malis bona ſegregare, cum reliquis Hippocrateis monimentis accepta ferenda ſint optima quaeuis. Praecipua haec ſunto, *febres quartanas, quae hieme infeſtant, facile morborum acutorum naturam induere; tabes ante trigeſimum aetatis annum accedentem eſſe longe periculoſiſſimam* cet.

§. XXX.

Περὶ ὀδοντοφυΐης. *De Dentitione.*

Ed. *Lind.* p. 590. T. I. Ed. *Froben.* gr. p. 53. Ed. *Mercurial.* Sect. IV. p. 55. Ed. *Foëſ.* p. 49. Sect. III. Ed. *Chart.* p. 871. T. VII. Verſ. *Cornar.* p. 74.

Libellus hic, ſi molem ſpectes, perbreuis eſt; ſin vero argumenti dignitatem, conſcriptus probabiliter. At vero ab HIPPOCRATE profectum eum eſſe nego atque pernego, neque ab *Erotiano Galeno*que commemorari ſcio. Nam etſi propriam diuini ſenis breuitatem hac ſcriptione contineri haud negare auſim; tamen facile ad perſpiciendum eſt, quam temere multa, quam minus accurate reique appoſite dicta ſint.

Commemoratu digniſſima ſunt, *in dentitione aluus ſi reſpondeat, infantes non conuelli; non omnes inter dentiendum conuulſione correptos perire; vlcera* ἐν παρισθμίοις, quae *Hallero* dd) *aphthae* videntur, cum

dd) Art. Medicae Princip. p. 123. T. II.

cum *ſine febre ſunt, haud pertimeſcenda eſſe, alias autem periculi pleniſſima*, cet.

§. XXXI.

Περὶ τροφῆς. *De Alimento.*

Ed. *Lind.* p. 592. T. I. Ed. *Froben.* gr. p. 100. cui vero ſtatim adiicitur, hunc librum, auctore *Galeno*, non eſſe HIPPOCRATIS, ſed aut *Theſſali*, aut vt alii mallent, *Herophili*. Ed. *Mercurial.* Sect. I. p. 353. Ed. *Foëſ.* p. 49. Sect. IV. Ed. *Chart.* p. 238. T. VI. Verſ. *Cornarii* p. 161.

Meminerunt huius libri *Erotianus* [e]), *Galenus* [f]), *A. Gellius* [g]), *Palladius* [gg]), *Stephanus Athenienſis* [h]), multique praeter hos alii. Sed de vero eius pretio atque integritate ſub iudice adhuc lis eſt. *Galenus* enim, vt ſolet, ſibi non conſtat, etſi commentaria in eum ſcribere haud dubitauit; alii paſſim ab *Theſſalo*, *Philotino*, *Philiſtioni*, *Herophilo* profectum eum eſſe adfirmarunt; aliis quorum in numero *Hier. Mercurialis* eſt, integer videtur atque HIPPOCRATIS auctoritate digniſſimus, *Io. Albert. Fabricius* [i]) *Pherecydi*, neſcio, cui attribui auctor eſt, et *Conringio* [k]) multorum ſcripto-

e) In Praefat. Gloſſ. p. 33. T. I. ed. *Chart.*
f) In II. Epid. Comm. II. 13. p. 134. T. IX. ed. *Chart.*
g) Noct. Attic. III. 16. p. 59. ed. *Aldin.*
gg) Comment. in L. de Fractur. ap. *Foëſ.* p. 147. Sect. VI. Opp. HIPP. et ed. *Chart.* p. 271. T. XII. Videtur vero *Palladius* omnes de *victus ratione* libros comprehendiſſe hoc περὶ τροφῆς nomine.
h) Explanat. in L. I. *Galeni* ad *Glaucon.* p. 64.
i) B. Gr. L. II. 24. p. 807. in fin.
k) Introduct. in Art. Med. c. XIII. §. 6. p. 408. ed. Hal. At *Schelhammero* in Additament. p. 421. ab eodem, cuius

ſcriptorum opera conflatus fuiſſe dicitur, cum argumenta nuſquam ſe excipiant, id quod ab HIPPOCRATIS magni grauitate eſt alieniſſimum; *Clericus* l) vero omnium omnino conſenſu eum HIPPOCRATI deberi prodidit memoriae, tandem in vtramque partem ferri *Hallerus* m) videtur. *Foëſius* n) vero quid hac de re ſenſerit, ſi cuius ſcire interſit, ipſum adeat.

Gaudet quidem hic liber Hippocratea orationis breuitate, at vero omni deſtituitur ordine, qua de cauſſa eum ex diuini ſenis monimentis *Caſp. Hofmannus* o) cenſuit eximendum. Deinde auctor, mirum, quantum delectatur verborum luſibus, et paene totus eſt in antithetis, vt grammatici loquuntur, qualis eſt *πύον τροφὴ ἕλκεος, πύον τροφὴ φλεβὸς, ἀρτηρίης, δύναμις μίη καὶ ἐ μίη, γλυκὺ καὶ ἐ γλυκὺ, τὸ ξύμφωνον διάφωνον, τὸ διάφωνον ξύμφωνον*, cet. quae ſophiſtae potius ineptias, quam HIPPOCRATIS grauitatem decere puto. Tertio genus ſcribendi, illud, quod libro *περὶ χυμῶν* occurrit, penitus exprimit, eumque eſſe in ſuppoſitorum numero, quis eſt, qui neſciat? Denique is, qui eum conſcripſit,

ius eſt *περὶ χυμῶν* liber, profectus videtur, multisque de cauſſis magni HIPPOCRATIS nomine indignus.

l) Hiſt. de Medec. P. I. L. III. 2. p. 207.

m) In *Boerh.* Method. Stud. Med. T. I. c. 3. p. 594. et Princip. Art. Medic. Praefat. ad T. IV. p. 7. videtur ei ad *Eraſiſtrati tempora* referendus.

n) In Not. ad h. l. p. 115. Sect. IV.

o) Var. Lect. VI. 17. p. 300. ſequ. at quo iure *Herophilo* adſignet, non video.

ſcripſit, turpiter ſe dedit, et immemor, quousque anatomes ſcientia HIPPOCRATIS aetate progrediatur, accurate ſatis, *arterias et venas* a ſe inuicem ſueuit diſtinguere. Dedecet vero virum grauem, a ſe ipſo tanto diſſentire opere, et quod alio loco affirmarat, alio negare.

Attamen ſi dicendum, quod res eſt, et *Galeni* p) atque *A. Gellii* q) teſtimoniis confirmatur, ſcribarum negligentia dicam, an inſcitia multas textus ſubiiſſe videtur corruptiones. *Glaucias* enim apud *Galenum* verba quaedam ſic legit: Ὀυκ ἔςι δὲ, καὶ ἔςι, τὸ ὀκτάμηνον βρέφος. *Sabinus* vero apud *A. Gellium* hoc modo: Ἔςι δὲ καὶ ὀυκ ἔςιν ὀκταμηνος γένησις, quae in noſtris editionibus ſic explicari video: Ὀυκ ἔςι καὶ ἔςι. In tanta igitur lectionum varietate miraque diſſenſione *Sabini* medici attuliſſe liceat nobis commentarium: Ἔςι μὲν φαινόμενα ὡς ζῶα μετὰ τὴν ἔκτρωσιν, ὀυκ ἔςι δὲ ὡς θνήσκοντα μετὰ ταῦτα, καὶ ἔςιν ὀυν φαντασία μὲν παραυτίκα ὄντα, δυνάμει δὲ ὀυκ ἔςι. Attamen haec verba denuo apud *Galenum* differunt: Ταῦτα φαίνεσθαι μὲν μετὰ τὴν ἔκτρωσιν. καὶ ὄυτως εἶναι, ὡς ζῶα· ὀυκ εἶναι δὲ, ὡς ἐυθὺς θνήσκοντα, ὡς τίκτεσθαι μὲν, ὀυ περιγίεσθαι δὲ.

Reliquum eſt, vt, ſi qua hoc libello contineantur praeclare dicta, paucis proferamus. Commemoratu vero prae ceteris digna ſunt, quae de *oſſium natura, de tranſpirationis natura et indole* habet; *natu-*

p) In L. de Aliment. Comm. IV. 56. p. 297. T. VI. ed. *Chart.*
q) L. cit. et ap. HIPP. §. IX. p. 597. T. I. ed. *Lind.*

naturam tantum non ſemper ſibi ſolam ſufficere ad morborum vim auferendam; omnia in rerum natura et prodeſſe et obeſſe poſſe; morborum formas cum primis ex loco, quem infeſtare ſolent, repetendas eſſe; venas ab hepate tanquam fonte, arterias vero a corde dimanare; habitum athletarum nullo modo eſſe naturae accommodatum; nutritionem corporis partium aggeſtioni deberi cet.

§. XXXII.

Περὶ ὑγρῶν χρήσιος. *De Humidorum Vſu.*

Ed. *Lind.* p. 599. T. I. Ed. *Froben.* gr. p. 112. Ed. *Mercurial.* Sect. III. p. 419. Ed. *Foëſ.* p. 96. Sect. IV. Ed. *Chart.* p. 443. T. VI. Verſ. *Cornar.* p. 164.

Libellus hic, cuius nec *Erotianus* meminit, neque *Galenus* [r]), ſi paucas voculas exceperis, exigui momenti eſt atque mutilus, maximamque partem ex Hippocrateis aphoriſmis, quos fere ad verbum exprimit, profluxiſſe cenſendus eſt, id quod attentius perlegenti omnia facile patebit, perſpexitque ſua aetate *Foëſius* [s]), *eum ex multis membranis conſarcinatum inter aduerſaria et* ὑπομνήματα *reponendum eſſe.* Hinc equidem nullus dubito, fore, vt a quoquam rerum intelligente ad HIPPOCRATEM, ſed ad hominem quendam potius referatur, qui quae in ſcholis didicerat, memoriae gratiae fuerat in aphoriſmorum ſimilitudinem chartis mandare ſolitus, quicquid contra dicat *Io. Nardius* [t]), auctoritatem huius ſcriptionis

 pro-

r) In VI. Epid. Comm. III. 14. p. 445. T. IX. ed. *Chart.*

s) In Not. ad h. l. p. 33. Sect. IV.

t) Noct. Genial. I. p. 5. ſequ. vbi in h. l. elucubrauit commenta-

propugnaturus. Desideres enim facile argumentorum grauitatem, magnamque sane huic cum reliquis diuini senis monimentis dissensionem intercedere, latebit, puto, neminem. Huc accedit, quod libelli inscriptio argumentis haud satis respondere videtur.

Memoratu digna sunt, *aegros, quorum pedes frigore adusti sunt, calida non fouendos esse, nisi hinc harum partium mortem velis inferre; calidam aquam membrorum laxationem et mollitiem, neruorum debilitatem progenerare, frigidam vero conuulsiones, rigores atque febrim; a consuetudine vitae et vsu non temere recedendum esse, ne quid noxae inde subnascatur; frigidae affusionem animi deliquia tollere, aquam marinam vlceribus mederi* cet.

§. XXXIII.

Περὶ φαρμάκων. *De Purgantibus.*

Ed. *Lind.* p. 607. T. I. Ed. *Chart.* p. 460. T. X. Ed. *Mercurial.* Sect. IV. p. 93.

Eodem, quo is, qui praecessit, laborare videtur vitio. Plurima enim ex aphorismis repetita sunt, eoque praeterea singularis illa doctrina continetur, qua *quatuor humores, bilem et atram bilem, aquam et pituitam purgari* auctor velit, quisquis

mentarium, quo vt ei omnes integritatis notas attribueret, incredibiliter omnem mouit lapidem, at infeliciter tamen. Nam et leuiter omnia attigit, nec pro rei dignitate, et *Galeni* testimonio p. 19. paene abutitur. Immo vero ipse *Nardius* in eam ingredi sententiam videtur, p. 39. hunc librum aut aphorismis deberi, aut ab alio quodam fuisse profectum.

quis demum ille ſit, *eaque in re naturam* aiat *eſſe conſulendam.* At vero huius doctrinae ne veſtigium quidem in monimentis vere Hippocraticis reperias, exindeque factum eſſe puto, vt collectio praeceptorum, quae diſcipulorum aliquis conſcripſerat, hicce libellus *Clerico* u) videretur. Nec, quantum equidem video, iniuria. Perlegenti enim eum curatius moles rerum indigeſta facile occurret mouebitque ſtomachum, cum HIPPOCRATIS magni grauitatem dedeceat tam leuiter in re perquam ardua verſari.

Ceterum habet hoc ſingulare, *cauendum eſſe, ne aegrum idque inconſulto pharmacis iugulaſſe videamur; medicamenta haec naturae cuiuſquam accommodari oportere, niſi ſaepe velis ea eſſe irrita; nec in febris acceſſione propinari, ſed lotiones potius in vſum vocandas eſſe* cet.

§. XXXIV.

Περὶ ἐλλεβορισμȢ. *De Veratri Vſu.*

Ed. *Lind.* p. 610. T. I. Ed. *Froben.* gr. p. 27. Ed. *Mercurial.* Sect. IV. p. 78. Ed. *Chart.* p. 27. T. I. Verſ. *Cornar.* p. 686.

Indigniſſimus magni HIPPOCRATIS gloria et nomine hic liber eſt, etſi eius in *Ep. ad Democritum* facta eſt mentio. Non enim, niſi ex *aphoriſmis*, *praenotionibus*, *praedictionibus* et libro περὶ πτισάνης, quos omnes ipſe auctor appellat, et quorum ſe auctoritate munire voluit, conflatus conſarcinatusque videtur. Porro cum libros περὶ

u) Hiſt. de Medecin. P. I. L. III. 31. p. m. 237.

ϱὶ γυναικείων a ſe profectos eſſe audacter profiteatur, paenes lectorem eſto iudicium, quanti hic liber habendus ſit. Nemo enim veterum medicorum, quorum facile princeps eſt HIPPOCRATES, tam impudens fuit tamque praefractae frontis, vt hoc omnia vndequaque compilandi mutatoque nomine inclareſcendi artificium ſeculo noſtro praereptum voluerit.

Attamen haec ſcriptio *cautionum quarundam dilectu in veratri vſu, quibus et quo tempore dandum videatur*, mirifice ſe commendat. Perbelle enim *Perſius* v):

Helleborum fruſtra, cum iam aegra cutis tumeſcit,
Poſcentes videas; venienti occurrite morbo.

§. XXXV.

Περὶ διαίτης ὑγιεινῆς. *De Salubri Victus Ratione.*

Ed. *Lind.* p. 626. T. I. Ed. *Froben.* gr. p. 25. adiectusque eſt περὶ φύσιος ἀνθρώπȣ. Ed. *Mercurial.* Sect. III. p. 366. Ed. *Foëſ.* p. 3. Sect. IV. Ed. *Chart.* p. 447. T. VI. Verſ. *Cornar.* p. 37.

Varie hunc librum, cuius nec *Erotianus* meminit, inſcribi ſolitum eſſe apud veteres, ex *Galeno* licet colligere. Modo enim nomine περὶ ὑγιεινῆς διαίτης πρὸς τȣ̀ς ἰδιώτας w), quorum in numero omnes omnino praeter athletas collocandos putauit, modo περὶ ὑγιαινόντων διαίτης x), modo denique ἐν τῷ διαιτητικῷ ὑγιει-

νῷ

v) Satyr. III. v. 63.

w) In L. Nat. Hom. Comm. I. T. III. ed. *Chart.* idque videtur a primis libelli verbis duxiſſe originem.

x) In L. Nat. Hom. Comm. II. p. 128. T. III. ed. *Chart.*

νῶ [y]), adſerre atque commemorare ſolet. Quae inſcribendi ratio vt apud varios varia eſt, ita etiam de libelli integritate dubitant plurimi, iique longe doctiſſimi viri. *Galenus* [z]) enim, cum in explicandis Hipprocrateis monimentis vnice verſari videretur, et in hanc ſcriptionem elucubraret commentarium, quam longiſſime ab HIPPOCRATIS auctoritate abeſſe iuſſit, *Polybo*que potius attribuendum eſſe cenſuit, in quo multos veterum et recentiorum conſentientes habet, eoque etiam nomine in vulgus olim edi curauit *Albinus Torinus* [a]). Sed, dici vix poteſt, quantum hac in re a ſe inuicem diſſentiant ſcriptores veteres. Nam eidem illi *Galeno* [b]), qui *Polybo* hanc adſignarat ſcriptionem, ea modo ab *Euryphonte* profecta videtur, qui, ſi quid video, HIPPOCRATI aut aequalis eſt, aut ſaltem paullulum aetate ſuperior, cum eius nomine per ἀντονομασίαν pro medico vſus ſit *Plato* Comicus, modo ad *Phaonta Ariſtonem*que refertur, modo *Philiſtionis* aut *Pherecydis* eſſe putatur, alii denique *Acroni* acceptam eam ferre non verebantur, quem id genus librum elucubraſſe *Suidas* [c]) memoriae prodidit.

y) In L. VI. Aph. I. p. 248. T. IX. ed. *Chart.*

z) In L. Nat. Hom. Comm. II. Praefat. p. 128. T. III. edit. *Chart.* ſimulque docuit, hunc librum olim, cum *Attalus* et *Ptolomaeus* de comparandis bibliothecis vnice cogitarent, illi περὶ φύσιος ἀνθρώπȣ molis augendae gratia fuiſſe adiectum.

a) Baſil. 1544. 4.

b) In L. Vict. Acut. Comm. I. 17. p. 15. T. XI. ed. *Chart.*

c) V. Ἄκρων.

At vero vel obiter huius libelli argumentum perlegenti ſatis ſuperque patere cenſeo, maximam eum partem eidem homini, qui *περὶ διαίτης* ſcripſerat, deberi, cum varia motus genera hauſtusque vini purioris, quod *ἀκρητέϛερον* dicitur, praeprimis commendentur, immo vero, quantum ex *Galeno* e) licuit coniectando adſequi, aut libri ſecundi *περὶ διαίτης* particula fuiſſe olim videtur, aut ſaltem ei adiectus.

Operae tamen pretium eſt, ſi qua praeclare dicta ſint et naturae appoſite, ea ſibi reddere cognita quaſi atque perſpecta. Ecquid enim, vt alia omittamus, elegantius illo monito e), aut magni probique viri perſona dignius: *Ἄνδρα δὲ χρὴ, ὅς ἐϛι συνετὸς, λογισάμενον, ὅτι τοῖσιν ἀνθρώποισιν πλείϛου ἄξιόν ἐϛιν ἡ ὑγιείη, ἐπίϛαϑαι ἐκ τῆς ἑωυτοῦ γνώμης ἐν τοῖσι νούσοισιν ὠφελέεϑαι. Virum prudentem id ſecum oportet reputare, ſanitatem rem eſſe pretioſiſſimam, proindeque ſcire, vt ex ſuo ipſius conſilio in morbis vtilitatem capiat?* Porro *victus rationem variam in variis adhibendam eſſe, aliter viro, aliter mulieri viuendum, aliter aeſtate, aliter vero hieme; motus corporis nec negligendos eſſe, nec modum debere excedere; balnea et lotiones ad valitudinem conſeruandam conferre plurimum* cet.

§. XXXVI.

d) Aliment. Facult. I. 2. p. 306. T. VI. ed. *Chart.*

e) L. cit. §. XIV. p. 632. T. I. ed. *Lind.*

§. XXXVI.

Περὶ ἐνυπνίων. *De Insomniis.*

Ed. *Lind.* p. 633. T. I. Ed. *Froben.* gr. p. 106. Ed. *Mercurial.* Sect. III. p. 496. Ed. *Foës.* p. 44. Sect. IV. Ed. *Chart.* p. 511. T. VI. Vers. *Cornar.* p. 156.

Libro huic, qui *Foësio* f) ob argumenti orationisque similitudinem tanquam illorum περὶ διαίτης particula habendus videtur, ea inuri et debet et potest infamiae nota, qua librorum, qui HIPPOCRATIS magni nomine cupiunt delitescere, plurimi, *Clerico* g) iudice, notandi sunt. Redundat enim, si quis alius, ratiociniorum multitudine, eoque conscriptus est ingenii acumine, quo, nescio, an vllus. Deinde ex recentiorum Platonicorum instituto nihil certi statuitur, animi nostri ἄρδειν dicuntur, vt Platonici loqui solebant, et in primis ea orationis forma vsus est *Xenophon* h); denique omnia omnino, quae ad somniorum doctrinam aut explicandam, aut illustrandam certe pertinere posse videantur, ex caussarum naturalium concentu quasi et conspiratione repetuntur, idque nec vlla dei cuiusdam, vt vulgo fieri solebat, habita ratione. Ex quo conficitur, auctorem huius scriptionis, quisquis demum ille sit, fuisse a superstitionis labe alienissimum, veraeque medicinae studiosissimum, adeoque haec scriptio

f) In Not. ad h. l. p. 113. Sect. IV.

g) Hist. de Medecin. P. I. L. III. 13. p. 177.

h) Sympos. c. 2. p. 127. ed. *Boerh.*

digna erat, quae *Iul. Caesar. Scaligeri* i), viri clarissimi, collustraretur eruditione.

Mira enim hoc libro continetur *victus ratio: porro valitudinem aduersam iusta ciborum detractione anteuertendam esse, corpus vero cursibus, deambulationibus et id genus exercitiis firmandum atque sustinendum; sanguinis circuitum augeri et minui; insomnia, si ab humorum redundantia proficiscantur, vasa vacuefacienda esse* cet. Deinde in siderum vicissitudinibus mul-

i) Amstel. 1658. 12. Elaboratus hic commentarius est magna cum subtilitate eaque argumentorum accuratione, qua ceteris antecelluisse scimus *Iul. Caesar. Scaligerum*, eamque scriptionem legisse nos nunquam poenituit. Praeter alia enim multa praeclare dicta *Apotelesm.* XII. p. 53. sequ. cum in ἀντίσπασιν sermo incidisset, in eam vagatur disquisitionem, multis abhinc seculis agitatam sic, vt pro aris et focis videretur esse contentio, *vtrum iis, qui laterum dolore infestantur, eodem latere, an contrario sanguis detrahendus sit*, et, mirabile dictu! in Arabum recentiorumque medicorum partes, transfugarum more, relictaque HIPPOCRATIS et *Galeni* auctoritate, transeundum sibi esse censuit. Sed nec geometrica demonstratio, qua nihil prius existimabat, nihil praestabilius, eo me adducere potuit, vt sanguinis missionem in remotiori parte praeferri oportere mihi persuaderem. Neminem enim latere posse arbitror, quo propius ab impedimento illo, quod sanguinis in orbem fluxui ex transuerso quasi obiectum videbatur, afueris, eo facilius quoque maiorique cum commodo aegrorum illud superari et posse, et debere. Conf. *Renat. Moreau De Sanguin. Missione in pleuritide* p. 41. ad calc. Compend. Hist. Medicin. *Io. Henr. Schulzii:* Quatenus vero et quam diu sanguis in eiusmodi morbis inflammatoriis detrahendus sit, nostri iam non est amplius anquirere. Id vnum scio, nos naturae vestigiis strenue insistentes decies et amplius secasse venam praeclarosque, vbi alii iam animum et hastam abiecerant, euentus magna cum laetitia votis nostris respondisse.

multus eſt, idque, vt in hac praeſagiendi arte fieri ſolet, non abs re. Denique ſimiliter, vt alias in libris περὶ διαίτης, ſe in ordinanda victus ratione primum fuiſſe temere profitetur, in quo, niſi me omnia fallunt, ad commenta retulit omnia, ad veritatis leges nihil, adeoque hic liber nec approbatione dignus eſt.

§. XXXVII.

Ὑγιεινὸν πρὸς Δημήτριον. *De Sanitate Tuenda ad Demetrium.*

Ed. *Lind.* p. 646. T. I. Ed. *Froben.* gr. p. 523. Ed. *Mercurial.* Sect. IV. p. 81. Ed. *Foëſ.* p. 23. Sect. VIII. Ed. *Chart.* p. 30. T. I. Verſ. *Cornar.* p. 688.

Vel obiter has ſcriptiones, cum ὑγιεινὸν, tum *litteras huius nominis* intuenti patebit, quam indignae ſint magni HIPPOCRATIS auctoritate atque gloria. Nullius enim *Demetrii* regis, quantum equidem ſcio, in hiſtoria vnquam ante HIPPOCRATEM facta eſt mentio, omniaque illa, quae ad *anatomen* ſpectant, rudia ſunt, nec adeo magni momenti habenda, aut ſaltem ex reliquis diuini ſenis monimentis petita.

Id vnum commemoraſſe ſufficiat, illum, a quo liber profectus eſt, quis vero ille ſit, non curo, *duo* ſtatuiſſe *morborum genera, alterum* κατὰ γένος, *alterm* κατὰ πάθος, *omnes omnino valitudinis aduerſae formas ex capite repetendas* cenſuiſſe cet. At vero ſententiolae, *caput omnium omnino morborum ſedem eſſe atque in cucurbitae ſimilitudinem corpori eſſe impoſitum, quae cuncta ſimiliter attrahat, ſapientiam longe praeſtare opibus*, et ſi quae id genus ſunt aliae, partim diuini ſenis dedecent grauitatem, partim

partim delicatulo cuidam ex grege ſophiſtarum, vt omnis fere epiſtolarum cohors, acceptae ferendae ſunt, adeoque id genus ſcriptionum in luxuriantis ingenii commentis videtur eſſe collocandum.

§. XXXVIII.

De Sanitate Tuenda ad Antiochum Regem.

Ed. *Lind.* p. 646. T. I.

Hanc ſcriptionem, quam ad HIPPOCRATEM referre *Marcellus* k) non veritus eſt, eſſe ſuppoſitam, quis eſt, qui non intelligat? Primum enim nulla fuit ratio temporum habita, verborumque crepundiis, mirum, quantum auctor delectatur, quae ſane, ſi quid aliud, indigniſſima ſunt magni HIPPOCRATIS gloria. Deinde deſideres inter legendum diuini ſenis breuitatem, quam, vt lectori eo facilius fucum daret, interpres ſtudio dataque opera neglectam eſſe prodidit memoriae. Denique multus eſt temere *in explicanda ſiderum vi atque virtute, quando et quo modo medicamenta ſumenda videantur.* O indignum *Hippocratei* nomine facinus! Abſit igitur quam longiſſime, tantamque gloriam aucupari deſinat.

§. XXXIX.

De Sanitate Tuenda ad Maecenatem.

Ed. *Lind.* p. 650. T. I.

Libellus hicce, qui ſimiliter ab *Marcello* l) HIPPOCRATIS eſſe perhibebatur, multis de cauſ-

k) L. De Medicament. p. 245. ſequ. Coll. *Steph.*
l) De Medicament. p. 245. ſequ. Coll. *Steph.*

caussis dedecet Hippocrateam grauitatem, videturque profectus a quodam homine male feriato, qui cum fallere vellet, fallendi artem haud satis perspectam habebat atque cognitam. Quis enim ille *Maecenas* sit, ad quem datae perhibentur litterae, iuxta cum ignarissimis ignoro. Id vnum scio, HIPPOCRATIS aetate nec *Maecenatem* quendam, nec *Caesarem*, nec *Augustum* in viuis fuisse. Deinde scatet rebus, iisque absurdissimis, *omnium brutorum animantium atque hominum naturam calido et frigido, humido et sicco contineri; principes valitudinis aduersae sedes caput atque thoracem, ventrem ac vesicam esse; aduersus omnium aegrotationum corporis impetus duo dari remedia, eaque certissima, quorum alterum est, decimo quouis die a cibo et potu abstinere, alterum vti lotionibus nouoque cibo vires redintegrare; cerebra hominum lunae vicissitudines experiri, atque modo augeri solere, modo minui* cet.

Terentius vero ille *Velpistus* et HIPPOCRATEM latuit, et nos latebit perpetuo, cum inane sine dubio nomen sit, et pro lubitu efformatum. *Enelpis* saltem, chirurgus ille medicusque ocularius, cuius *Celsus* m) meminit, eumque sua aetate maximum fuisse perhibet, nec est, nec esse potest, quicquid contra nuper nobis quis in aurem insusurrare voluerit.

m) De Medicina L. V. 6. p. 352. ed. *Krauf.*

§. XL.

§. XL.

Ἐπιδημιῶν β'.	*Morborum Popularium II.*
δ'.	*IV.*
ε'.	*V.*
ϛ'.	*VI.*
ζ'.	*VII.*

Tantopere in horum librorum pretio ſtatuendo cum a ſe inuicem ſcriptores et veteres, et recentiores diſcedant atque diſſentiant, ſane ſupervacuum videbatur prius *Galeni* n) hac de re ſententiam atque auctoritatem in medium protuliſſe, quam ad ſingulorum vim ac grauitatem nos accinxerimus. En ipſa verba: Ἐπεὶ δ' ἑπτὰ μὲν ἐϛιν ἅπαντα τὰ τῶν ἐπιδημιῶν βιβλία, τέτων δὲ τὸ μὲν ἕβδομον σαφῶς νόθον εἶναι πᾶσι δοκεῖ, καὶ νεώτερον διεσκευασμένον. τὸ δὲ πέμπτον ἐ τῦ μεγάλε Ἱπποκράτες τῦ Ἡρακλείδες υἱέος, ἀλλὰ τῦ νεωτέρε τῦ Δρακόντος. τὸ δὲ δέυτερον, καὶ τὸ τέταρτον, καὶ τὸ ἕκτον, ἐϛὶ μὲν οἷς τῦ Ἱπποκράτες υἱέος, ἐϛὶ δ' οἷς καὶ αὐτῦ Ἱπποκράτες ἔδοξεν, ἐ μὴν συγγράμματάγε, ἐδ' ὥϛε διαδοθῆναι τοῖς ἕλλησι μέλλοντα, ἀλλ' ὑπομνήματα εἶναι. τισὶ δὲ οἵπερ καὶ ἀκριβέϛερά μοι δοκῦσι καταμαθεῖν τῶν βιβλίων τὴν δύναμιν, ὑπὸ μὲν τῦ Θεσσάλε γεγράφθαι δοκεῖ τὰ Ε'. δύο δ' εἶναι τῦ μεγάλε Ἱπποκράτες, καὶ ἐπιγεγράφθαι γέ πε διὰ τῦτο, τὰ ἐκ τῦ μικρῦ πινακιδίε, δηλονότι τῦ Θεσσάλε πάντα, ὅσαπερ ὁ πατὴρ αὐτῦ γεγραφὼς ἔτυχεν ἀθροῖσαι σπεδάσαντος ἐς ταυτὸν, ὡς μηδὲν ἀπόλλοιτο. *Quoniam vero ſeptem ſunt in vniverſum morbo-*

n) L. Difficult. Reſpir. II. 8. p. 255. T. VII. ed. *Chart.*

morborum popularium libri, et ex his ſeptimus manifeſte ſpurius eſſe omnibus videtur, immo et recentior ac interpolatus; quintus vero non magni HIPPOCRATIS, *Heraclidae filii, ſed iunioris filii Draconis; ſecundus vero ac quartus, et ſextus ab aliquibus* HIPPOCRATIS *filii, ab aliis vero ipſius* HIPPOCRATIS *eſſe putantur; non tamen opera, neque graecis diuulganda, ſed commentarii potius eſſe; quibusdam vero, qui mihi accuratius librorum vim expendiſſe videntur, a Theſſalo conſcriptos eſſe quinque libros coniectura eſt, duos autem eſſe magni* HIPPOCRATIS, *et ob id ſane inſcriptos eſſe libros: Ex parua Tabella; Theſſalo videlicet omnia, quae pater ſuus ſcripſerat, in idem coaceruare ſtudente, quo nihil deperiret.* Atque iterum °): Ὥσπερ — τὸν αὐτὸν οἶμαι τρόπον ἔχειν καὶ τὰ κατὰ τὸ ΔΕΥΤΕΡΟΝ καὶ τὸ Δ. καὶ τὸ ἕκτον· ὡμολόγηται γὰρ οὖν ἤδη καὶ ταῦτα συνθεῖναι Θεσσαλὸν τὸν Ἱπποκράτους υἱὸν, τὰ μὲν αὐτοῦ τοῦ πατρὸς ἐν διφθέραις τισὶν ἢ δέλτοις εὑρόντα ὑπομνήματα, προθέντα δέ τινα καὶ αὐτὸν οὐκ ὀλίγα. τό γε μὴν ΠΕΜΠΤΟΝ τε καὶ ἝΒΔΟΜΟΝ τῶν ἐπιδημιῶν οὐκ ἄν τις μοι δοκεῖ τοῦς Ἱπποκράτους γνώμης οἰκείας ἀξιῶσαι. κατ' ἐμὴν δὲ γνώμην οὐδὲ τὸ ΤΕΤΑΡΤΟΝ, εἰ καί τισιν ἔδοξε καὶ τοῦθ' ὑπὸ Θεσσαλοῦ συντεθεῖναι. *Quemadmodum autem — eodem modo, opinor, habent ea, quae in ſecundo, quarto et ſexto habentur. Concedunt enim iam etiam hos Theſſalum,* HIPPOCRATIS *filium, compoſuiſſe, tum in parentis membranis quibusdam aut tabulis commentarios*

o) L. Diff. Reſpir. III. 1. p. 268. T. VII. ed. *Chart.*

rios nactum, tum etiam aliqua, eaque non pauca de ſuo addentem. At quintum et ſeptimum epidemiorum non videtur mihi quispiam genuina HIPPOCRATIS *doctrina dignos cenſurus, nec vt ego ſentio, quartum, quamuis quidam etiam hunc a Theſſalo compoſitum eſſe putent.* Denique et illud [p]) de horum librorum pretio: Τὰ ἐν διφθέραις, ἢ χάρταις, ἢ δέλτοις ὑφ᾽ Ἱπποκράτει γεγραμμένα, τὸν υἱὸν αὐτοῦ Θεσσαλὸν ἀθροίσαντα φασὶ ταυτὶ τὰ δύο βιβλία συνθεῖναι, τό τε ΔΕΥΤΕΡΟΝ καὶ τὸ ἕκτον, ἔνιοι δὲ καὶ τὰ ΤΕΤΑΡΤΟΝ φασι. *Quicquid in membranis aut chartis, aut tabulis ab* HIPPOCRATE *ſcriptum inuenerat filius eius Theſſalus, coaceruaſſe dicunt omnia, eaque ratione hos duo libros compoſuiſſe, ſecundum puta et ſextum, alii autem et quartum dicunt.*

Praemiſſis igitur iis, quae, *Galeno* iudice, veteres de horum librorum auctoritate ſtatuerant, reliquum eſt, vt per ſingulos eamus, et ſi qua videantur aut prae ceteris commemoranda, aut maiori luce colluſtranda, addere ea non recuſabimus.

I. Ἐπιδημιῶν β′. *Morborum Popularium II.*

Ed. *Lind.* p. 684. T. I. Ed. *Froben.* gr. p. 311. Ed. *Mercurial.* Sect. I. p. 105. Ed. *Foëſ.* p. 73. Sect. VII. Ed. *Chart.* p. 118. T. IX. Verſ. *Cornar.* p. 410.

Meminerunt huius libri *Erotianus* [q]), *Caelius Aurelianus* [r]), *Galenus* [s]), et ſexcenti alii, et, vt ſupra

p) Comm. III. in VI. Epid. ſimiliterque in Praefat. h. l.

q) In Praef. Gloſſ. p. 33. T. I. ed. *Chart.* et Gloſſ. voc. σπληνὸς κατ᾽ ἴξιν.

r) Morb. Acut. III. 17. p. 240. ed. Amſtel.

s) In Gloſſ. voc. κατάστημα. στομάργου, L. Placit. *Platon.* et

HIPP.

ſupra [t]) vidimus, ad *Theſſalum* pertinere patrisque pugillaribus acceptus, ferendus eſſe putabatur. Ex ceteris certe Hippocrateis monimentis, in primisque *aphoriſmis*, opimam praedam abſtulit. Quid igitur mirum, ſi hac in ſcriptione praeclara illa et ſummis efferenda laudibus doctrina *de morborum iudicationibus* contineatur ad iuſtas ordinis leges reique naturae apposite deſcripta? Quid mirum, ſi, quicquid hoc de argumento aliis in locis legeris, huic ſane praeſtantia ſua longe videatur concedere?

Admiſta tamen huic libello eſt *perridicula illa venarum deſcriptio*, *quam alias* περὶ ὀϛέων φύσιος et περὶ φύσιος ἀνθρώπȣ contineri ſcio, differt vero, vt *Galeno* [u]) videtur, ſic, vt κόιλη φλέψ dicatur ἡπατίτις, adeoque non veritus eſt hoc veſani cuiusdam hominis ſomnium reputare, qui cum fallere vellet, rudis ab hac arte fuerit. Neque illa *de anatome* particula, huc referenda videtur,

HIPP. V. 8. p. 201. T. V. ed. *Chart.* L. De Partu Septim. p. 347. T. V. In L. περὶ τροφῆς Comm. III. 29. p. 276. T. VI. L. Loc. Affect. IV. 6. p. 459. T. VII.

t) In Epid. III. Comm. II. Fuit vero *Theſſalus*, auctore *Galeno*, Comm. I. in L. Nat. Hom. Praefat. p. 94. T. III. ed. *Chart.* ἀνὴρ θαυμάσιος, et L. III. Epid. Comm. II. init. dicitur ἀκριβῶς ἀκολȣθήσας τῇ γνώμῃ τȣ̃ πατρός. Quae ſane, ſi eos libros, quorum auctor eſſe dicitur, ſpectes, multum a veritate deflectunt, ſed qua eſt mentis inconſtantia *Galenus*, iterum Comm. II. in II. Epid. 1. p. 124. T. IX. ob *rerum obſcuritatem, breuitatem neglectumque ordinis*, nec ad *Theſſalum* hunc libellum pertinere prodidit memoriae, nec πρὸς ἔκδοσιν conſcriptum videri. Cf. L. Dier. Critic. II. 4. p. 480. T. VIII. ed. *Chart.*

u) In Nat. Hom. Comm. II. 6. p. 137. T. III. ed. *Chart.*

tur, etsi, quantum ex *Galeni* [v]) colligitur commentario, tunc temporis iam temere Hippocrateis monimentis adsuta est. Quo iure enim hunc locum obtineat, iuxta cum ignarissimis ignoro, adeoque nec dubium est, quin alieno debeatur homini. Nihil enim rationi et consilio dedisse auctor videtur, qui demum cunque ille sit, tumultuariae vero cuidam rerum aggestioni omnia. Accedit, quod hac in scriptione magna medicamentorum multitudo allegatur, id quod non facile in aliis, iisque integris HIPPOCRATIS magni περὶ ἐπιδημιῶν libris legere me memini, *arteriae* vero, *venae*, *nerui*, operose a se inuicem segregantur. Denique multa hic occurrunt loca, quae denuo in sexto [w]), vix ac ne vix quidem mutato verbulo, legas necesse est, adeoque ex his omnibus, si quid video, rite conficitur, eum ab *Thessalo* aut quocunque alio esse compilatum, et sine dilectu editum.

II. Ἐπιδημιῶν δ'. *Morborum Popularium. IV.*

Ed. *Lind.* p. 742. T. I. Ed. *Froben.* gr. p. 328. Ed. *Mercurial.* Sect. IV. p. 138. Ed. *Foës.* p. 208. Sect. VII. Ed. *Chart.* p. 312. T. IX. Version. *Cornar.* p. 434.

Facta fuit huius libri mentio apud *Erotianum* [x]), *Galenum* [y]), alios; sed ad diuinum senem,

v) In II. Epid. Comment. II. 1. p. 124. T. IX. ed. *Chart.* At vero L. Placit. *Platon.* et HIPP. VI. 3. p. 187. T. V. ed. *Chart.* non, nisi hic loci et L. περὶ ἄρθρων vera venarum doctrina contineri perhibet.

w) Cf. *Galen.* L. Diff. Respir. III. 2. p. 268. sequ. T. VII. ed. *Chart.*

x) In Praefat. Gloss. p. 33. T. I. ed. *Chart.* et Gloss. voc ἀλυσμόν, ὁμαλῶς.

y) In Gloss. voc. σπόγγοι.

nem, ſi quis alius, nullo modo pertinere poſſe videtur, partim quod in morborum enarrationibus et ordinem rerum, et argumenti veritatem deſideres, partim quod aphoriſmi temere, nec naturae accommodate fuerint conflati. Obſeruationes enim mancae ſunt, lubricae quaſique obiter factae, orationis vero ea forma eſt, quam in *ſecundo* et *ſexto* horum librorum adhibitam eſſe intelleximus. Ex qua re factum eſſe exiſtimo, vt *Theſſalo Galenus* z) eum attribueret, atque tanquam magni HIPPOCRATIS nomine indignum, reiiciendum arbitraretur. *Hallerus* a) ſaltem ob Cynici cuiusdam mentionem, cum haec ſchola ſit multo recentior, ſimiliter virga vſus eſt cenſoria. Commemoratu digniſſimum eſt, quod in hunc libellum olim commentarios ſcripſerit *Heraclides Tarentinus*, vt *Erotianus* auctor eſt.

III. Ἐπιδημιῶν έ. *Morborum Popularium. V.*

Ed. *Lind.* p. 766. T. I. Ed. *Froben.* gr. p. 334. Ed. *Mercurial.* Sect. I. p. 151. Ed. *Foëſ.* p. 233. Sect. VII. Ed. *Chart.* p. 332. T. VIIII. Verſ. *Cornar.* p. 444.

Commemorarunt hunc librum *Erotianus* aa), *Caelius Aurelianus* b), *Galenus* c), qui eum HIPPOCRATI iuniori vendicare haud dubitauit; At vero recentiori demum aetate *Hieron. Mercurialis* et

z) L. Diff. Reſp. III. 1. p. 268. T. VII. ed. *Chart.*
a) Art. Med. Princip. T. II. in Praefat. ad h. l.
aa) L. cit. et Gloſſ. voc. κλέπτεται ἡ ῥαφή.
b) Morb. Acut. III. 21. p. 259. et Amſtel.
c) In Gloſſ. voc. ἀπεβοάσσετο, et L. Diff. Reſp. II. 8. p. 255. T. VII. ed. *Chart.*

Lemosius eum ab Hippocrateis monimentis quam longissime abesse iusserunt. Continentur hac scriptione multa praeclare quidem dicta et facta, nec indigna diuini senis auctoritate, at vero eius desiderari cum orationis breuitatem, tum argumentorum ordinem, quis est, qui inter legendum non intelligat? Accedit et illud, quod taediosis fatigat lectorem repetitionibus, arterias a venis rite segregat, id quod Hippocratea aetate nunquam factum esse, nec fieri potuisse, compertum habeo, aphorismis praeterea falsis, lubricis et a naturae via abhorrentibus redundat, et multus denique in purgationum vehementissimarum vsu est. Quare equidem satis mirari nequeo, quid sit, quod *Hallerus* d) iisdem, quibus alios damnauit, tanquam HIPPOCRATIS auctoritate indignissimos, indiciis sibi persuaderi haud passus sit, vt hunc prae ceteris censeret reprobandum.

Sua interim laus atque honos eius auctori debetur, quod mira in describendis *diebus iudicatoriis* vsus sit accuratione, hisque de caussis commotus *Galenus* e) multa exinde exempla censuerit repetenda ad doctrinae huius veritatem confirmandam, in primis vero quod, cum in chirurgia versatus fuisse videatur, proprios errores confiteri non erubuerit, idque, *Celso* f) iudice, *more magnorum virorum et fiduciam magnarum rerum habentium.*

d) In *Boerh.* Meth. Stud. Med. P. II. p. 8. et Art. Medic. Princip. p. 293. T. II.

e) In L. Dier. Critic. II. et Diff. Respir. II. 8. p. 255. T. VII. sequ. ed. *Chart.*

f) De Medicina L. VIII. 4. p. 515. ed. *Krauſ.*

tium. Nam leuia ingenia, quia nihil habent, nihil ſibi detrahunt. Magno ingenio multaque nihilominus habituro conuenit etiam ſimplex veri erroris confeſſio, praecipueque in eo miniſterio, quod vtilitatis cauſſa poſteris traditur, ne qui decipiantur eadem ratione, qua quis ante deceptus eſt. Ecquid enim probitate dignius medici perſona? Eaque de cauſſa, credo, huius libelli auctorem, quisquis demum ille ſit, maximi fecerunt *Plutarchus* g), *Quinctilianus* h) aliique perquam multi. Legiſſe autem eum poenitebit ſaltem, puto, neminem.

IV. Ἐπιδημιῶν ς'. *Morborum Popularium VI.*

Ed. *Lind.* p. 796. T. I. Ed. *Froben.* gr. p. 343. Ed. *Mercurial.* Sect. I. p. 166. Ed. *Foëſ.* p. 256. Sect. VII. Ed. *Chart.* p. 353. T. VIIII. Verſ. *Cornar.* p. 455.

Meminere huius libri *Erotianus* i), *Galenus* k), praetereaque loca quaedam exinde ſumſit *Stephanus Athenienſis* l). Sed laborat iisdem vitiis, quibus ad ceteros reiiciendos fuimus compulſi. Etſi enim hac ſcriptione multa continentur, eaque nec ſpernenda, *nihil temere adfirmandum in medicina eſſe, nihil contemnendum, tranſpirationi et inſpirationi omne corpus patere, naturam ſaepenume-*

g) De Profect. in Virtut. p. m. 82.
h) Inſtitut. Orat. III. p. 45.
i) L. cit. et Gloſſ. voc. ὄμματα ἐνδεδηνημένα.
k) In Gloſſ. Voc. ἄνθεα, σύναγμα; L. de Humor. p. 152. T. III. L. Sanit. Tuend. II. 2. p. 67. T. VII. In L. Vict. Salubr. Comm. Text. 31. p. 236. T. VI. L. Loc. Affect. III. 10. p. 439. T. VII. L. Different. Febr. I. 1. p. 107. T. VII. L. De Marcore c. 3. p. 198. T. VII. ed. *Chart.*
l) Explanat. in *Galen.* L. I. ad *Glaucon.* Sect. V. init. p. 1. et Sect. VIII. p. 14.

ro morbis mederi, tempestatum vicissitudines attendendas aetatumque in valitudinis aduersae cura habendam esse rationem, neque victum negligendum cet. tamen plurima, omni posthabito ordine, conscripta sunt, et fere ex aliis HIPPOCRATIS magni monimentis, immo vero ex iis ipsis, qui in *popularibus morbis* versantur, ad verbum expressa. Porro orationis forma, incredibile, quantum ab ea dissentiat, qua in Ἐπιδημιῶν α΄. et γ΄. vsus erat HIPPOCRATES.

Quare etsi in eum *Galeni* olim extitere commentarii, tamen ipse non dubitauit aliorum vestigia sequi, eumque attribuere *Thessalo* m)), patris aduersaria depraedanti, et prouti placuerat, bonis mala admiscenti, idque cum maxime iis de caussis, partim quod a multis non, nisi *primus* et *tertius horum* librorum scripti πρὸς ἔκδοσιν putarentur, reliqui vero cuncti aut suppositi, aut saltem consarcinati, partim quod hoc *sexto* multa continerentur quidem doctrina Hippocratea dignissima, multa vero etiam *Thessalus*, nec omni, vt fas erat adhibita cura et attentione, ad lacunas explendas adiecerit. Deinde maximam partem aphorismis, quos forsan leuiter adumbrarat HIPPOCRATES, *Galeno* n)) videtur in acceptis ferendus, et tantum non omnia ex *aphorismis integris, praedictionibus*, cet. repetuntur. Hinc cum narratio-

m) In VI. Epid. Comm. I. Praef. p. 354. et Comm. II. 15. p. 402. Comm. III. 19. p. 453. T. IX. ed. *Chart.* At vero Method. Medend. VIII. 3. p. 187. T. X. dubitat, HIPPOCRATIS sit, an *Thessali*.

n) L. cit.

rationes aegrorum variae vt hic, ita etiam aliis in locis *Abderis* factae fuisse perhibeantur, vsu euenisse crediderim, vt quidam ex sophistarum grege ab HIPPOCRATE philosophum persanatum esse fingerent aliisque imponerent. At vero auctor, qui demum cunque ille sit, viam, qua in curandis febribus vsus erat *Herodicus*, aegrosque variis exercitiorum generibus diuexatos iugularat, tanquam improbam et exitialem reiicere haud veritus est.

V. Ἐπιδημιῶν ζ. *Morborum Popularium VII.*

Ed. *Lind.* p. 824. T. I. Ed. *Froben.* gr. p. 351. Ed. *Mercurial.* Sect. I. p. 183. Ed. *Foës.* p. 302. Sect. VII. Ed. *Chart.* p. 552. T. IX. Vers. *Cornar.* p. 467.

Liber hic, si quid video, propter orationis argumentique similitudinem, quam ei cum *secundo* cognouimus intercedere, videtur eidem *Hippocrati* iuniori ferendus in acceptis esse. Laborat enim multis, iisque taediosis repetitionibus, qualis est *illa de gibbositate ex phrenitide* narratiuncula, quam Ἐπιδημιῶν ε΄. memini me ad verbum legere. Nihilo tamen secius suis haud destituitur bonis, quae *et ad morborum curationes et chirurgiae cognitionem* pertinere posse videantur, eaque conscriptus est verborum luxurie, vt rerum multitudine, si Dis placet, fere opprimaris.

§. XLI.

Περὶ νούσων α'. *De Morbis I.*
β'. *II.*
γ'. *III.*
δ'. *IV.*

Ed. *Lind.* p. 1. sequ. T. II. Ed. *Froben.* gr. p. 129. sequ. cui adiicitur: πρῶτον Ἱπποκράτους γνήσιον ἤ. Ed. *Mercurial.* Sect. III. p. 96. sequ. Ed. *Foës.* p. 3. sequ. Sect. V. Ed. *Chart.* p. 531. sequ. T. VII. Verf. *Cornar.* p. 180. sequ.

Meminere horum librorum apud veteres non pauci, *Erotianus* o), *Caelius Aurelianus* p), *Galenus* q), qui eos scriptos esse, veluti ὑπομνήματα καὶ ὡς ἐν τύπῳ, non tanquam συγγράμματα, atque modo *Thessalo*, modo *Polybo* attribui auctor est. Sed quemadmodum hoc in rerum lubrico ac inconstantia fieri solet, vt alter alteri repugnet, et modo aiat, modo neget; ita etiam hic accidit. *Erotianus* r) enim non, nisi *primum* et *secundum* commemoratu dignissimos censuit, ceterorum ne mentione quidem facta; *Caelius Aurelianus* s) *secundi* meminit, et *Galenus* t) denique, praeterquam quod *duo magna* et *duo parua* commemorarat, aut *secundum* περὶ νούσων, eumque *minorem* u) adduxit, aut etiam *secundum maiorem* v), aut

o) In Praef. Gloff. p. 33. T. I. ed. *Chart.*
p) Morb. Acut. III. 17. p. 240. ed. Amstel.
q) L. de Humor. p. 153. T. III. ed. *Chart.* et in VI. Epid. Comm. I. 29. p. 387. T. IX. *Dioscoridem* librum hunc HIPPOCRATI *Thessali* filio, tribuisse prodidit memoriae.
r) L. cit.
s) L. cit.
t) *Fabric.* B. Gr. L. II. 24. p. 805.
u) In Gloff. voc. ἀθὴρ.
v) In Gloff. voc. ἄλφιτα, ἀνθίνην οἶνον, ἀνεργασμένον, ἄορτρον.

aut etiam tantum ἐν τῷ περὶ νόσων [w]). Sed audiamus hac de re *Foësium* [x]): *Quinam de morbis minor primus ei dicatur, cum nusquam extent in eo dictiones a Galeno in exegesi adductae, vt earum totam scriptionem et doctrinam valde vitiatam et corruptam esse multis argumentis mihi persuadeam. Adde, quod etiam multa, quae ab antiquis scriptoribus ex his libris adducuntur, desiderari et nusquam extare videantur, velut quod a Caelio Aureliano de sanguinis missione in sanguinis fluore ex libro de morbis adfertur* c. 13. L. II. Tard. Pass. *et quod Galenus initio commentarii I.* in *Prorrhet.* τυφανίην *ex libris* HIPPOCRATIS *de morbis citat, cum ne vlla quidem eius affectionis mentio extet; ibique de ea altum sit silentium.*

Quicquid igitur sit, libros hos ab HIPPOCRATE magno profectos esse multis de caussis nego atque pernego, partim quod veteres aeque ac recentiores scriptores maximam partem in suppositorum numero habendam existimarunt, quorum facile princeps *Caelius Aurelianus* [y]) est, partim quod Hippocratea doctrina hic desideratur ac lucidus ordo. Huc accedit subtilitas orationis et magna ratiociniorum cohors. Quare in eam sen-

 ten-

w) In II. Epid. Comm. III. 21. p. 170. T. IX. ed. *Chart.*

x) In h. l. p. 258. Sect. V.

y) Morb. Acut. II. 6. p. 84. ed. Amstel. negat. HIPPOCRATEM *phrenitidis* curationem dedisse, quem tamen περὶ νόσων γ΄. §. 9. p. 101. T. II. ed. *Lind.* legimus. Similiter de *lethargo*, qui nihilo secius L. II. §. 63. p. 87. occurrit Cf. Morb. Acut. III. 4. p. 191. et III. 17. p. 240. vbi *Caelius* ipsum *librum secundum* allegat. Attamen si dicendum, quod res est, haec loca aut libro III. editiones nostrae insinuatum habent, aut penitus abesse videntur.

tentiam ingreſſus videtur *Foëſius* [z]), vt hos omnino omnes libros eidem, cui ille περὶ γυναικείων, eique ſimul Cnidio medico deberi ſibi perſuaderet, *qui morbos ex nominum diuerſitate et accidentibus diſtinguat, idque in Cnidiis reprehendat* HIPPOCRATES. Sed haec hactenus. Eamus per ſingulos.

Libro igitur *primo*, vt vulgo nominatur, et *Galenus* [a]) ipſe fecerat, at denuo perperam ſic dici, nec niſi praefationem eſſe, librum ipſum autem incipere a verbis: Καὶ ἐρωτώμενος ἀποκρίνεσθαι, auctor eſt, *omnes* omnino *morborum cauſſae ex pituita* et *bile* repetuntur; *quarto* vero *libro* ex *ſanguine, bile, pituita et aqua*, quorum omnium fons et ſcaturigo eſſet ventriculus. En auctoris inconſtantiam ſummam, aut ſi mauis, diuerſitatem! Qua ex re factum eſſe exiſtimo, vt multi, quorum in numero *Foëſius* [b]) eſt, tollendae tantae difficultatis gratia *vltimum* hunc *de morbis librum* ad *Polybum*, quem ſi nihil certi ſit, quod dici poſſit, tanquam deum ex machina, aduocant, referre haud dubitarent. *Secundi libri* primordia his verbis fecit *Galenus* [c]): Οὐ ῥέεται πολλὸν, eiusque auctorem *Theſſalum* ex *Dioſcoridis* ſententia. Sed vt ſaepius dixi, ſibi non conſtat, eumque haud raro nomine μείζονος περὶ νόσων allegat. *Tertius* vero ei fuiſſe videtur, *ſecundus minor*, et *Caelio* [d]) *Aureliano* ſimiliter *ſecundus*. De *quarto* cum iam, quae

z) In Not. ad h. l. p. 258. Sect. V.
a) In περὶ ἄρθρων Comment. III.
b) In Not. ad h. l. p. 275. Sect. V.
c) In VI. Epid. Comm. I. 18.
d) Morb. Acut. III. 4. p. 191. ed. Amſtel. III. 17. p. 240.

quae ſentiam, dixerim, non eſt, quod multus ſim. Id vnum adduxiſſe ſufficiat, omnia ad ratiociniorum ſubtilitatem referri enunciationesque precarias.

Ad Cnidiorum vero medicum aliquem hos libros referri et poſſe, et debere, recte, vt mihi videtur, *Hallerus* [c]) ait. Is enim, qui περὶ νȣ́σων quaedam conſcripſerat, illos περὶ γυναικείων libros a ſe elucubratos eſſe profitetur, quos Cnidiis deberi nullus ſane dubito. Deinde morborum notiones tam vagae ſunt et ex arbitrio efformatae, vt nec accurationi in obſeruando Hippocraticae ſatis reſpondeant, nec a natura propius abhorreant. Tandem nimius auctor in temerario ridiculoque remediorum vſu eſt, qualis *ſanguinis in lingua detractio ad morbum regium auferendum*, *flores aeris*, *argenti* cet. formasque valitudinis aduerſae, dici vix poteſt, quam operoſe ac temere augendas eſſe adfirmauit, idque praeſertim apud Cnidios vſu veniſſe *Galenus* [f]) memoriae prodidit. Accidit id quoque noſtra aetate cum *Nietzkio* [g]), tum

c) In *Boerh.* Method. Stud. Med. P. II. p. 9. et Princip. Art. Medic. p. 1. T. III.

f) In L. de Aliment. Comm. III. 34. p. 282. T. VI. ed. *Chart.*

g) In Element. Pathologiae, Hal. 1766. 8. ibique prae ceteris ridendus *furor poëticus* §. 375. L. I c. 6. p. 130. eſt, qui ſi morbus eſt, quid tandem ſit, neſcire me profiteor. At *furor vteri* morbus eſt. Recte, nam phantaſiae laeſae multa, eaque grauiſſima corporis mala adiuncta ſunt, quae non, niſi magna adhibita cura tollere poſſis. Sed in furore poëtico vix ac ne vix quidem phantaſia videtur ad tempus neque ſemper perturbari poſſe, visque eius facile euaneſcere, immo vero, dum poëta canit:

Eſt

tum prae ceteris *Francifco Boiffier de Sauvages* [h]), Gallo medico haud contemnendo, qui herbarum ftudio ductus ad genera et fpecies refert omnia, ad naturae viam nihil, eodemque, quo vetus hic auctor, fere modo febribus crepat fymptomaticis. Quid enim ftultius dici, quid abfurdius cogitari poteft, quam *pulmo denfus et plenus*, *febris fingultiens*, *febris interficiens*, *morbus*, *qui ἀνάντη dicitur*, *morbus ructuofus*, *pituitofus*, *liuidus*, *niger*, *φροντὶς*, quam valitudinis aduerfae formam cenfuit *difficilem*, *innumera doloris laterum cohors*, *πλευρῖτις ἄπτυσος*, *πλευρίτιδες ξηραὶ*, *πλευρῖτις ἐν νότῳ*, *πλευρῖτις αἱματώδης*, et fexcenta alia, quae afferre nec lubet, nec fas eft? Odi enim et arceo profanum medicorum vulgus, qui naturae viis infiftere recufant, et in morborum cauffis hofpites atque peregrini, in remediorum formulis aniliter docti et paene toti funt, atque in votis id vnum eft, vt tantum non femper in fimillimos *Ariftoteli* viros incidant, quorum non eft nomen morbi noffe, fed cauffas, earumque inueftigationem folum medicum facere habent cognitum atque perfuafum.

Continentur vero his libris curationes morborum non adeo ab natura abhorrentes, fimulque confutatio veteris illius doctrinae, quam apud *Platonem*

Eft Deus in nobis, agitante calefcimus illo,
haud raro et loquitur et fentit, vt ex plebe infimus quisque.

h) In Nofologia Medica.

tonem [i]), *Plutarchum* [k]), *A. Gellium* [l]), *Macrobium* [m]) multosque praeterea alios legere me memini, *potum per asperam arteriam descendere*, et nihilo secius eandem illam doctrinam alias περὶ τῶν ἐντὸς παθῶν, περὶ καρδίης, περὶ ὀςέων φύσιος, tanquam veram suisque fundamentis intelleximus esse stabilitam. Deinde aetatis nostrae medicis viam quasi muniisse videtur is, qui hos libros conscripserat, *ad explicandos secretionum modos*, cum in iis segregandis et ad vasorum vim atque virtutem, et ad humorum indolem animum doceat esse applicandum. Denique admirabilem *lactis equini apud Scythas parandi rationem* feliciter descripsit. Sed liceat nobis id vnum adiecisse, tanquam commemoratu dignissimum, *Sylphium* [n]) nec in Ionia, nec in Peloponeso vnquam progerminasse, quicquid operae fuerit impendi solitum, cum contra eadem illa planta in Lybia sua sponte magnaque copia laete succresceret. In Auctoris vero hac de re sententiam quo minus pedibus ire possimus, multis de caussis prohibemur.

i) In *Timaeo*.

k) Sympos. VII. 1. —— vbi huius doctrinae dux et auctor perhibetur esse HIPPOCRATES.

l) Noct. Attic. XVII. 12. p. 247. ed. *Aldin.*

m) Saturnal. VII. 15. p. m. 558.

n) L. περὶ νόσων IV. §. 4. p. 122. T. II. ed. *Lind.*

§. XLII.

§. XLII.

Περὶ παθῶν. *De Affectionibus.*

Ed. *Lind.* p. 161. T. II. Ed. *Froben.* gr. p. 179. sed adiicitur: Τοῦτο δὲ ὁ Γαληνὸς τοῦ Πολύβου λέγει εἶναι: Ed. *Mercurial.* Sect. III. p. 35. Ed. *Foës.* p: 75. Sect. V. Ed. *Chart.* p. 619. T. VII. Verf. *Cornar.* p. 245.

Meminit huius libri *Galenus* o), idque nomine μείζονος περὶ παθῶν p), cuius initium a verbis: Ἢν τοῦ πνεύμονος αἱ ἀρτηρίαι fiat; At in editionibus nostris sic ille περὶ τῶν ἐντὸς παθῶν, exorditur, quem alii περὶ ἐμπύων inscriberent. Est vero hicce liber, mirum, quantum ad doctrinae Hippocraticae similitudinem elaboratus, eamque auctor adhibuit orationis breuitatem, qua HIPPOCRATI videtur nihil prius fuisse, nihil magis consentaneum, immo vero adeo sese abdicauit ratiociniorum blanditiis, vt iure suo magno huic viro comparandus et adsignandus videatur, nisi et indignum HIPPOCRATE veteres iudicassent, et a *Polybo*, vt memoriae *Galenus* q) prodidit, profectum, cuius nomine etiam in vulgus olim edidit *Albanus Torinus* r). Deinde versatur praeclare in euentis morborum obseruandis, magnam habet victus rationem, eiusque vtilitatem perbelle demonstrat, et Hippocrateo more curationes addere negligit.

At vero in eorum librorum similitudinem, quos diuini senis gloria et auctoritate censuimus indi-

o) In Gloss. voc. Τελᾶν.

p) In L. VI. Aph. 27. Comm. VI. p. 263. P. II. T. IX. ed. *Chart.*

q) In L. Vict. Acut. Comm. II. 38. p. 63. T. XI. ed. *Chart.*

r) Basil. 1544. 4.

indigniſſimos, *omnes omnino valitudinis aduerſae cauſſas ex bile pituitaque* repetendas exiſtimauit is, a quo liber profectus eſt, librum περὶ Φαρμακίτιδος et περὶ Φαρμάκων allegat, quem ſcimus eſſe ſuppoſitum, aut ſi velis a *Schulzii* ſtare partibus, qui quadam veri ſimilitudine commotus librum περι νȣ́σων δ', hic intelligendum eſſe arbitratus eſt, per me quidem liceat. Id ſaltem meminiſſe placet, non, niſi hoc loco eius factam mentionem fuiſſe, *Galeno*que auctore, vt ſuo iam tempore monuit *Dan. Clericus* [s]), ea ſeorſim remediorum pertractandorum ratio plane ab iſtorum temporum abhorret conſuetudine, neque, cum *liber ſecundus morborum populariter graſſantium* ſimiliter in ſuppoſitorum numero habendus ſit, approbationis aliquid de ſingulari HIPPOCRATIS hac in re ſcientia videtur adferri commemorarique poſſe.

Praecipua ſcituque digna ſunt, *qualitates viresque alimentorum; cauſſarum breuis nec abſona explicatio; a pharmacis, ſi morbus iam inueterarit, abſtinendum eſſe; ne quid accidat in dentium dolore, modo iam eroſi ſint, praeſtare eos eximere; in inflammationibus pectoris, lateris, cerebri et ardente febre vocandas in ſubſidium eſſe lotiones, potiones acidas; in morbos acutos haud raro febres mutari, nec ſi mali magnitudine victus aeger pereat, medicum accuſandum eſſe; a viſcerum labe aquam naſci intercutem, ab humorum vero vitiis omnia ea mala, quae cutim deturpare ſolent;* cet.

§. XLIII.

s) Hiſt. de Medec. P. I. L. III. 24. p. 205. ſequ.

§. XLIII.

Περὶ τῶν ἐντὸς παθῶν. *De Internis Affectionibus.*

Ed. *Lind.* p. 196. T. II. Ed. *Froben.* gr. p. 189. Ed. *Mercurial.* Sect. III. p. 35. Ed. *Foës.* p. 91. Sect. V. Ed. *Chart.* p. 638. T. VII. Verſ. *Cornar.* p. 258.

Proſtant apud veteres multi huius nominis libri, videturque haec noſtra ſcriptio *Galeno* [t]) inſcribi περὶ ἐμπύων. Sed, vt ſolet, ſibi non conſtat, et huc illuc fertur. Hunc vero libellum, quem *Euryphontis* eſſe *Foëſius* [u]) auguratur, medico ex ſchola Cnidia progreſſo attribuere non veritus eſt *Jo. Henr. Schulzius* [v]), idque iis de cauſſis commotus, quod nimium vbique morborum ex ſymptomatis effingendorum pruritum perſentiſceret. Erant enim, vt *Galenus* [w]) memoriae prodidit, Cnidiis *bilis morbi ſeptem*, *veſicae duodecim*, *femoris duo*, *pedis quinque*, *difficultatis vrinae quatuor*, *tetani tres*, *faucium inflammationes*, quas κυνάγχας dicunt, *multas*, *quatuor morbi regii formae*, *quinque ſplenis*, *tres tabis*, *quatuor renes infeſtantis*, et id genus inteſtinorum morbi perquam multi, quos omnes enumerare nec lubet, nec licet, et, ſi cuius haec ſcire interſit, hoc libro ſatis ſuperque deſcriptos legat. Cnidii enim medici cum ſymptomatum ſingulorum ab iis, quibus natura morbi conti-

t) In L. VI. Aph. 27. Comm. p. 263. P. II. T. IX. et in L. de Artic. Comment. II.

u) In Not. ad h. l. p. 282. Sect. V.

v) Compend. Hiſt. Medicin. L. I. 9. §. 133. p. 61. Cf. Hiſtor. Medicin. Per. I. Sect. III. c. 4. §. 28. p. 267.

w) In L. de Aliment. Comm. III. 34. p. 282. T. VI. ed. *Chart.* et in L. Vict. Acut. Comm. I. 7. p. 5. T. XI. Cf. *Clerc.* Hiſt. de Medecin. P. I. L. III. 11. p. 173.

continetur, rite ſegregandorum artem prorſus ignorarent, factum eſt, vt incredibiliter augeretur morborum multitudo, idque temere, neque naturae appoſite. Quis enim noſtrum vnquam in integris HIPPOCRATIS magni libris legerit illum morbum, qui hic παχὺ νόσημα dicitur? Quis innumeras eius formas, cui τύφος nomen eſt? Quis illam *pituitae* ferat, diſtributionem, vt ſit et ἐπιδήμιος et νεώτατος?

Redundat praeterea rebus abſurdis, *ex pluuiae odore homines morbo corripi, ad quandam tabis ſpeciem profligandam carnes ſuillas valere plurimum, nocere porcinas* x) cet. Quare cum huic ſcriptioni mira cum libro περὶ νούσων γ'. intercedat ſimilitudo et orationis, et argumenti, iure noſtro videmur eas aut ad vnum eundemque auctorem referre poſſe, aut ſaltem alicui attribuere, iisdem ſcholae Cnidiae praeceptis imbuto. Huc accedit, quod *acrium medicamentorum* vſum Cnidiis proprium et quaſi natiuum eſſe *Galenus* litteris reliquit conſignatum, quorum facile princeps illud eſt *ex floribus aeris cypri, cneorum, granum cnidium, hippophaes ſuccus* cet.

Eſt tamen, cur paucis eum cenſeam lectu commemoratuque digniſſimum. *Aquam* enim *intercutem, ex pulmonum tuberculis oriundam* auctor, qui demum cunque ille ſit, demonſtraturus exem-

x) Hanc diuerſitatem *carnis ſuillae et porcinae* a veteribus obſeruatam ſi cuius ſcire interſit, *Jo. Langium* L. I. Ep. 61. p. 293. adiiſſe, puto, haud poenitebit.

emplis iis exiſtimauit confirmandum, quae in *boum caniumque pulmonibus* repererat, eaque cuncta ſagaciter.

§. XLIV.

Περὶ ἱερῆς νȣ́σȣ. *De Morbo Sacro.*

Ed. *Lind.* p. 324. T. II. Ed. *Froben.* gr. p. 122. cui ſtatim ſubiicitur: Ὀυ γνησίȣ Ἱπποκράτȣς, ἀξιολόγȣ δὲ ἀνδρὸς φησὶ ὁ Γαληνὸς, καὶ κατὰ τὴν ἑρμηνέιαν, καὶ κατὰ τὴν διάνοιαν. Ἱπποκράτȣς δὲ ȣ̓δὲν ἐν αὐτῷ, ȣ̓́τε κατὰ τὸν τρόπον τῆς ἑρμηνέιας, ȣ̓́τε κατὰ τὸ τῆς διανοίας ἀκριβὲς. Ed. *Mercurial.* Sect. III. p. 344. Ed. *Foëſ.* p. 84. Sect. III. Ed. *Chart.* p. 475. T. X. Verſ. *Cornar.* p. 172.

Librum hunc, cuius inter Hippocrateos meminerunt *Erotianus* xx), *Caelius Aurelianus* y), qui eum *de epilepſia* putauit inſcribendum, atque ſimiliter *Galenus* z), ad HIPPOCRATEM nullo modo pertinere poſſe, vel ex eo colligas, quod vbique cum orationis Hippocrateae breuitas deſideretur, et adhibita ſit oratio fuſa et Aſiatica, tum ex ratiociniorum ſubtilitate vehementer laborare videatur.

Admirabilis tamen auctoris, quisquis ille ſit, laus eſt atque honos, qui a ſuperſtitionis vanitate alieniſſimus nihil morborum ad deum quendam referendum, ſed omnia ex corporis ſtructura iisque, quae ei extrinſecus accidunt, repetenda cenſuit, comparandis cum cerebro humano brutis animantibus, et cum maxime ouium et caprarum cerebris. En optimum *anatomes practicae* apud veteres

xx) In Praef. Gloſſ. p. 33. T. I. ed. *Chart.*

y) Morb. Diuturn. I. 4. p. 219. ed. Amſtel.

z) In Prognoſt. Comm. I. 4. p. 588. T. VIII. et in VI. Epid. Comment. VI, 7. p. 550. T. IX. ed. *Chart.*

teres argumentum! Ecquid enim hac ſententia [a]) praeſtabilius aut viri probi perſona dignius: Οὐ μέντοι ἔγωγε ἀξιῶ ὑπὸ θεοῦ ἀνθρώπου σῶμα μιαίνεσθαι, τὸ ὑποκηρότατον ὑπὸ τοῦ ἁγνοτάτου. ἀλλὰ κἢν τυγχάνῃ ὑπὸ ἑτέρου μεμιασμένον ἤ τι πεπονθὸς, ἐθέλοι ἂν ὑπὸ τοῦ θεοῦ καθαίρεσθαι καὶ ἁγνίζεσθαι μᾶλλον, ἢ μιαίνεσθαι. τὰ γοῦν μέγιςα τῶν ἁμαρτημάτων καὶ ἀνοσιώτατα τὸ θεῖόν ἐςι τὸ καθαῖρον καὶ ἁγνίζον, καὶ ἔρυμα γενόμενον ἡμῖν — *Neque tamen ego puto, hominis corpus a deo inquinari, ſordidiſſimum ſcilicet a puriſſimo. Verum etiamſi contingat ab alio inquinari aut quid perpeti, cupierit vtique a deo purgari ac purificari magis, quam inquinari. Deus itaque eſt, qui maxima ac ſceleratiſſima peccata purgat ac purificat, et liberatio noſtra exiſtit* — Ex quo conficitur, eum, qui librum hunc conſcripſerat, deum morborum auctorem ex plebis more accuſare turpiſſimum iudicaſſe, nec niſi impoſtoribus digniſſimum.

Monuit praeterea, *ſeptum tranſuerſum*, quod graeci φρένας [b]) appellant, quaſi ibi ſedes prudentiae eſſet collocata, nomine illo videri prorſus indignum. Denique continetur hoc libro anatomes ſcientia haud contemnenda, *cerebrum hominis duplex eſſe mediaque membrana diuiſum; vaſa per omnem corporis compagem deduci; venas temporum pone aures in internum externumque ramum diuaricari; morbum ſacrum non, niſi pituita laborantes inuadere; capris hoc malo affectis, ſi cultro ſubiiciantur, cerebrum eſſe hu-*

L 2 *midum*

a) §. IV. p. 329. T. II. ed. *Lind.*
b) §. XVIII. p. 343. T. II. ed. *Lind.*

midum et aqua foetida refertiſſimum; ab auſtro vinum et liquores, quicunque vaſis contineantur, mutari, venasque corporis quaſi laxari; omnes omnino animi perturbationes et iucundas et aduerſas e cerebro eſſe repetendas, immo vero inſaniam ipſam; ſedem ſapientiae eſſe cerebrum, reliquosque ſenſus pro inſtrumentis habendos, quorum miniſterio cuncta peragantur cet.

Quibus tam praeclare peractis, libellum ſic auctori, qui certe HIPPOCRATE longe recentior eſt, finire [c]) placuit, medicosque commonefacere, quorum eſt vt in omnibus valitudinis aduerſae formis, ita in hac prae primis ad cauſſarum inueſtigationem ſe componere: Τȣ̃το ȣ̃ν δεῖ τὸν ἰητρὸν ἐπίςαϑαι, καὶ τὸν καιρὸν διαγινώσκειν ἑκάςȣ, ὡς ἂν τὸ μὲν ἀποδῶ τῇ τροφῇ καὶ αὐξήσει, τὸ δὲ ἀφαιρέσει καὶ μειώσει. Χρὴ δὲ καὶ ἐν ταύτῃ τῇ νȣ́σῳ καὶ ἐν τῇσιν ἄλλῃσιν ἁπάσῃσι μὴ αὔξειν τὰ νȣσήματα, ἀλλὰ σπεύδειν τρύχειν προσφέροντας τῇ νȣ́σῳ τὸ πολεμιώτατον ἑκάςῃ, καὶ μὴ τὸ φίλον καὶ σύνηϑες —— *Hoc itaque medicum noſſe oportet et temporis occaſionem in ſingulis pernoſcere, quod alterum quidem per alimentum abſoluet et augebit, alterum vero detrahet et minuet. Oportet autem tum in hoc morbo, tum in reliquis omnibus non augere morbos, ſed feſtinare, vt ipſos exteramus, id, quod aduerſiſſimum eſt morbo, exhibendo, non quod amicum et familiare* ——

c) §. cit. p. 344. T. II. ed. *Lind.*

§. XLV.

§. XLV.

Περὶ μανίης. *De Insania.*

Ed. *Lind.* p. 345. T. II. Ed. *Froben.* gr. p. 535. Ed. *Mercurial.* Sect. IV. p. 77. Ed. *Foës.* p. 19. Sect. VIII. Ed. *Chart.* p. 26. T. I. Vers. *Cornar.* p. 685.

Scriptionem hanc cuius non, nisi litterae HIPPOCRATIS d) ad *Damagetum* meminerunt, nec esse HIPPOCRATIS, nec esse posse, vel ex eo colligas, quod eius auctor se *de morbo sacro* quaedam conscripsisse, audacter adfirmet, nec non Ἐπιδημιῶν ε΄. appellet. Qui cum doctorum hominum iudicio diu iam in suppositorum numero habiti sint, (desideres enim facile doctrinam Hippocraticam) hunc etiam auctoritate sua cadere necesse est. Eadem enim, quam in libro περὶ νούσων α΄. vidimus adhibitam, ratione *morborum caussas atque originem a bile pituitaque* censuit repetendas, adeoque prouti eorum alteri valitudo debeatur aduersa, eo grauius mitiusue ingrauescere. Voces ex libro περὶ ἱερῆς νούσου repetuntur haud paucae, atque prae ceteris haec commemoranda sunt, *corruptionem cerebri a bile ac pituita esse repetendam, quorum prior melancholiam inferat ferocientem, posterior placidam; ad insaniam tollendam facere sanguinis detractionem, haustus aquae, aqua mulsa, veratri pocula* cet.

d) p. 916. sequ. T. II. ed. *Lind.*

§. XLVI.

Περὶ αἱμοῤῥοΐδων. *De Haemorrhoidibus.*

Ed. *Lind.* p. 347. T. II. Ed. *Froben.* gr. p. 520. Ed. *Mercurial.* Sect. III. p. 358. Ed. *Foëſ.* p. 168. Sect. VI. Ed. *Chart.* p. 147. T. XII. Verſion. *Cornar.* p. 667.

Meminerunt huius libelli *Erotianus* e) atque *Galenus* f) fuitque olim illi περὶ συρίγγων adiunctus, vt apud *Erotianum* vidimus, ſed nullo tamen iure HIPPOCRATIS magni gloria dignus, etſi hac in re aliter ſentiat *Foëſius* g), eumque *ob argumenta et tractationis connexionem, Erotiani et Galeni teſtimonia exinde petita* cet. ab HIPPOCRATE profectum eſſe perhibeat. Repugnat enim, ab orationis forma ſi diſceſſero, reliquis diuini ſenis placitis, qui cum in aphoriſmis h) quaecunque ſanguinis profluuia omnibus iis praelata velit, quae per ani vaſa proiici ſoleant, aut ſaltem non, niſi vnam profluere cupiat, id quod, *Paullo* i) iudice, praeceptum erat HIPPOCRATI, etſi plane diſſentire videatur *Aëtius* k); hoc in libro *omnes omnino* exſtirpare atque perſanare iubemur. Accedit et illud, quod *flores aeris*, *argenti ſpuma*, *aerugo*, *chal-*

e) In Praefat. Gloſſ. p. 33. T. I. ed. *Chart.* et Gloſſ. voc. θαμινά.

f) In Gloſſ. voc. πήρινα. Cf. *Fabric.* B. Gr. L. II. 24. p. 799.

g) In Not. ad h. l. p. 168. Sect. VI.

h) Sic iuſſerat HIPPOCRATES Aph. 12. Sect. VI. p. 99. T. I. ed. *Lind.* Interim vehementer dubito, fore, vt quisquam per αἱμοῤῥοΐδα magno huic viro ſemper intelligi argumentis idoneis doceat illud *ſanguinis profluuium, quod ex inteſtinis naſcitur.* Promiſcue enim hac voce quamcunque ſanguinis profuſionem exprimit.

i) L. VI. 79. p. 586. Coll. *Steph.* et ed. Baſil. gr. p. 207.

k) Tetrabibl. IV. Serm. II. 5. p. 688.

chalcitis, *alumen aegyptiacum*, incredibiliter commendantur, quorum vſum ſcimus apud Cnidios fuiſſe longe frequentiſſimum. Denique omnes morborum cauſſae a *bile et pituita* repetuntur.

Neque tamen ſua deſtituitur vtilitate, *haemorrhoidum cauſſam principem ex ſanguinis mora et quiete repetendam eſſe*, *locumque in venis interanei obtinere*; *ſigna*, *quibus cognoſci poſſint*, *recte attendi oportere*, eaque ſunt appoſite ad naturam, *lotiones hoc in morbo magnae utilitatis eſſe* cet.

§. XLVII.

Περὶ ὄψιος. *De Viſu.*

Ed. *Lind.* p. 351. T. II. Ed. *Froben.* gr. p. 521. Ed. *Mercurial.* Sect. IV. p. 56. Ed. *Foëſ.* p. 256. Sect. V. Verſ. *Cornar.* p. 669.

Libellus hicce ad illius περὶ παθῶν ſimilitudinem elucubratus videtur, cum ibidem auctor ſe de oculorum morbis ſeorſim acturum eſſe profitetur. Qui tamen an idem ſit, vehementer dubito. Id vnum certo ſcio, eum in illorum collocandum eſſe numero, quos tuto magni HIPPOCRATIS gloria delitеſcere poſſe negauimus. Manifeſta enim falſitatis indicia, quae diuino ſeni deberi nullo modo poſſint, vel me non monente lectoribus occurrant neceſſe eſt, omnesque notiones morborum, quibus oculi ſolent infeſtari, vagae ſunt, neque naturae ſatis reſpondent. Quare ſi famoſam illam exceperis *oculorum ſcarificationem* kk), rem ſane peregregiam et ſeculi noſtri lau-

kk) Huius auctor atque inuentrix capra dicitur *Plin.* Hiſt. Nat. VIII. 50. et *Aelian.* Hiſt. Anim. VII. 14. Cf. *Trilleri*

laudibus, in primis vero *Woolhousii* et *Platneri* optimi ſtudiis digniſſimam, non adeo magni haec ſcriptio habenda videtur.

Hinc nullus dubito, quin a medico quodam, qui in vitiis oculorum perſanandis vnice verſabatur, eoque Alexandrino quos paſſim *Galenus* hac de re appellat, conſcripta ſit. Scimus enim, auctore *Herodoto* l), apud Aegyptios morbis ſingulis ſingulos medicos praefuiſſe: Ἡ δὲ ἰητρικὴ κατὰ τάδε σφὶ δέδασται. μίης νούσου ἕκαστος ἰητρός ἐστι, καὶ οὐ πλειόνων. πάντα δ᾽ ἰητρῶν ἐστι πλέα. οἱ μὲν γὰρ ὀφθαλμῶν ἰητροὶ κατεστέασι, οἱ δὲ κεφαλῆς, οἱ δὲ ὀδόντων, οἱ δὲ κατὰ νηδὺν, οἱ δὲ ἀφανέων νούσων. *Medicina apud eos ſic diſtributa eſt, vt morborum ſingulorum ſinguli ſint medici, neque plurium. Sunt autem omnia medicis refertiſſima. Alii enim oculorum medici ſunt, alii capitis, alii dentium, alii alui reliquarumque partium, alii denique occultorum morborum.* Quae res cum ſuis haud deſtitueretur commodis, et quo quis maiorem operam et ſtudium in quadam artis parte poſuerat, eo plus ceteris antecelleret, qui omnem medicinae ambitum emetiri cupiebant; factum eſt, vt ſenſim pedetentimque haec conſuetudo ad alias tranſiret nationes, miraque ſe commendaret vtilitate. Meminerunt enim id genus medicorum *Celſus* m), *Mar-*

leri Progr. *de ſcarificationis oculorum hiſtoria, antiquitate et origine*, Vitemb. 1754.

l) In *Euterpe* et *Thalia* init. meminit medici ocularii, qui omnium, quotquot in Aegypto erant, ab *Amaſi* iudicatus eſſet praeſtantiſſimus. Cf. *Homer*. Odyſſ. δ΄. 231. — vbi omnes omnino Aegyptii medici eſſe perhibentur.

m) *De* Medicina L. V. 6. p. 352. ed. *Krauſ*.

Martialis [n]), *Galenus*, multique praeter hos alii. At vero *M. Tullius Cicero* [o]): *An tu existimas*, inquit, *cum esset* HIPPOCRATES *ille Cous, fuisse tum alios medicos, qui morbis, alios, qui vulneribus, alios, qui oculis mederentur.* Scio equidem haec omnia, et summi huius viri auctoritate commotus, si vel quaeuis alia me deficerent, hanc περὶ ὄψιος opellam reiiciendam existimarem.

Praecipua, quae commemoratu videntur digna, sunt, *in variis oculorum vitiis sanguinem esse detrahendum; vlcera ad depulsandam humorum prauitatem inuri oportere; oculumque radi, donec nihil sanguinis puri profluat; scarificationem occipitis corporisque purgationes haud negligendas esse* cet.

L 5 §. XLVIII.

n) L. VIII. Epigr. 74. et L. X. Epigr. 56. vbi varii variorum morborum medici adferuntur. Cf. L. XI. Epigr. 85. vnde suo tempore *medicos ocularios* Romae fuisse patet, idque deinde magis magisque vsu euenit. Id tamen addere nobis liceat, id genus medicos tantum non semper fuisse empiricos, qui quae longo vsu et experientia didicerant, ea interdum magna cum felicitate exercebant, interdum magno cum aegrorum damno, adeoque medicis vere Hippocraticis et viris probis erant prae ceteris exosi. Hinc ap. HIPP. Iusiur. §. 2. p. 43. T. I. ed. *Lind.* ἐργάται dicuntur, qui in *calculo secando*, versabantur, id quod *Pollux* Onomast. I. Sect. I. 5. per χειροτέχνας, et *Hesych.* Lexic. p. 372. ed. Schrevel. per ἐργαστικοὺς et μισθωτοὺς exprimit. Huc accedit, quod *Plato* L. de Legib. IV. ad fin. vt supra iam monuimus, *duo medicorum genera* describit, alterum *seruorum*, alterum *ingenuorum.* Locum ipsum integrum legisse poenitebit, puto, neminem, exindeque facile colligi posse censeo, quare id genus medici operarii omnia experientiae accepta ferenda clamitarent, rationi nihil concederent.

o) De Orator. III. 33.

§. XLVIII.

Περὶ παρθενίων. *De Virginum Morbis.*

Ed. *Lind.* p. 355. T. II. Ed. *Froben.* gr. p. 213. Ed. *Mercurial.* Sect. III. p. 343. Ed. *Foës.* p. 124. Sect. V. Ed. *Chart.* p. 679. T. VII. Verſ. *Cornar.* p. 286.

Nulla huius ſcriptionis apud veteres facta eſt mentio, videturque *Foëſio* p) particula manca eſſe, ex reliquis περὶ γυναικείων libris maximam partem excerpta, adeoque ab magni HIPPOCRATIS auctoritate vel maxime aliena. Equidem, ſi dicendum, quod ſentio, hunc libellum homini eidem, a quo ille περὶ ἱερῆς νόσȣ profectus eſt, attribuere haud dubitarem. Suadent enim id cum orationis ſimilitudo ſumma, tum quod morborum cauſſas in deum quendam transferri iure videat.

Praeclara dicta haec ſunto, *non, niſi natura ſingulorum hominum perſpecta morborum cauſſas inueſtigandas eſſe; ſigna ad viuum expreſſa naturaeque appoſita, quibus virgines in menſtrui fluxus defectione ſolent infeſtari*, eorumque facile princeps eſt *furor vteri, per venerem auferendus; fluxus vero menſtruus a ſanguinis redundantia repetitur* cet.

§. XLIX.

Περὶ γυναικείης φύσιος. *De Natura Muliebri.*

Ed. *Lind.* p. 358. T. II. Ed. *Froben.* gr. p. 213. Ed. *Mercurial.* Sect. III. p. 187. Ed. *Foëſ.* p. 126. Sect. V. Ed. *Chart.* p. 681. T. VII. Verſ. *Cornar.* p. 287.

Meminit huius libri *Galenus* q), et ab illo περὶ παρθενίων, dici vix poteſt, quantum diſſentiat.

p) In Not. ad h. l. p. 291. Sect. V.

q) In II. Epid. Comm. II. 20. p. 140. T. IX. ed. *Chart.*

tiat. Cuius auctor cum morborum muliebrium origines et caussas a deo quodam repetendos audacter pernegasset, hac in scriptione contra et numen vel maxime accusatur, et in feminarum naturam culpa transfertur temere. Deinde magnus HIPPOCRATES, sacramenti fide interpósita, medicos adstrinxerat, ne forte mulieri partum medicamentis abigerent, et is, qui hunc librum conscripsit, haud veritus est, quicquid tanto tamque foedo sceleri perpetrando esset accommodatissimum, legentium insinuare animis. Tertio labe ista, qua ceteri omnes *de mulierum morbis* laborat, quod nimius sit in acrium vehementissimorumque medicamentorum vsu, quales sunt *cantharides, buprestis demto capite, alis et pedibus, colocynthis, grana cnidia, cneorum, hippophaes succus, alumen aegyptiacum, misy, lapis magnesia,* quorum vix ac ne vix quidem alias facta est mentio. Tandem, ab orationis dissensione si discessero, mira ratiociniorum multitudine redundat, et in vniuersum omnia dialecticorum more putat auctor explicanda, id quod sane, si quid aliud, ab diuini senis simplicitate alienissimum est.

Quare ex his omnibus conficitur, hunc et qui eum sequuntur libri, ad Cnidiorum aliquem pertinere, quos scimus et contentiosos fuisse, et in tentandis acribus remediis longe audacissimos.

Nihilo tamen secius hac scriptione *morborum muliebrium signa* ita pertractantur, vt in iis aliquo modo acquiescere posse videaris. Prae ceteris commemoratu digna sunt, *hydrops, prolapsus et strangulatio vteri, quae castorei vsu et graue olentium*

reme-

remediorum beneficio bene feliciterque curari posse dicitur; inflammationes vteri; peruersus oris vteri positus, isque varie a naturali abhorrens cet.

§. L.

Περὶ γυναικείων α'. *De Morbis Mulierum I.*
β'. *II.*

Ed. *Lind.* p. 415. sequ. T. II. Ed. *Froben.* gr. p. 231. sed alter videtur ordiri a verbis: Ἦν ῥόος ἐν τῇσι μητρῇσιν. Nam a §. 108. p. 500. Ed. *Lind.* deficit quaedam particula in *Cornarii* versione, similiterque Foësiana haud satis respondet editioni Frobenianae et Lindenianae. Ed. *Mercurial.* Sect. III. p. 217. sequ. Ed. *Foës.* p. 152. sequ. Sect. V. Ed. *Chart.* p. 728. T. VII. Secundus vero p. 794. a verbis incipit: Ῥόος λευκὸς ἐν τῇσι γεραιτέρῃσι, quae ap. *Lind.* efficiunt §. VI. Sed huius editionis initium ap. *Lind.* occurrit p. 529. T. II. Sed haec obiter, cetera lectori relicturus dixi: Vers. *Cornar.* p. 309. sequ.

Facta passim horum librorum est mentio apud *Erotianum* r), *Galenum* s), nec non in libris περὶ ἐλλεβορισμȣ̃, περὶ γονῆς, περὶ ἀφόρων, et pertinent, vt auctor ipse profitetur, ad eundem, qui περὶ φύσιος παιδίȣ scripserat, medicum. Qui cum mira in morbis curandis vtatur subtilitate, Cnidiorumque medicorum more vagas notiones formasque longe plures, quam HIPPOCRATES, effingat; (argumento enim possunt *multiplices et absurdae*

r) In Praef. Gloss. p. 33. T. I. ed. *Chart.* et Gloss. ἠδύσμασι, ἀτρεκέως.

s) In Gloss. voc. ἄλφιτα, κυάμȣ καρπὸν prioris meminit; posterioris vero voc. ἄνθεα λίπα et aliisque locis plurimis. At in II. Epid. Comment. III. 95. p. 179. T. IX. ed. *Chart.* videtur in eorum ingredi sententiam, qui hos libros *Hippocratea* gloria et auctoritate haud dignos arbitrabantur.

ſurdae fluoris albi ſpecies, quas iam alio loco ſcimus eſſe confutatas,) immo vero ex remediorum acrium multitudine vehementer laboret; conficitur, ad diuinum ſenem hos libros nullo modo referendos eſſe, in quo conſentientes habemus *Foëſium* [t]) atque *Io. Henr. Schulzium* [u]). Id tamen negare non auſim, antiquitatis laude, qua hac in re nihil maius, nihil prius eſt, fraudandos nullo modo hos libros videri.

Libro enim *primo variae oris vteri ipſiusque vteri conuerſiones* adumbrantur, *purgamenta partus et quae forte ſequantur noxae*, demonſtrantur, *vlcerumque natura* ad viuum quaſi exprimitur. Similiter eo continentur *vterum grauidum, cum humores eo confluant, denſiorem fieri*, porro quaedam *de foetus conuerſione, exſectione* cet. haud contemnenda.

Liber ſecundus, qui multa prioris libri ad verbum fere expreſſit, paene omnis verſatur in *explicandis vteri ſtrangulationibus, earumque variis formis*. Omnia enim, quae *de moto vtero* proferuntur in medium, *de conuulſionibus* explicanda eſſe nuper [v]) iam monuimus. Deinde *variae fluxus menſtrui* cauſſae

t) In Not. ad h. l. p. 307. Sect. V. Attribuit eidem, a quo libri περὶ νέσων, περὶ γονῆς, περὶ ἐπιεβορισμȣ̃, profecti ſunt, auctori.

u) Hiſt. Medicin. Per. I. Sect. III. c. 4. §. 28. p. 267. et Compend. Hiſt. Medic. L. II. 3. §, 312. p. 155. Eo in primis vtitur argumento ad horum librorum futilitatem demonſtrandam, (de antiquitate nihil dicam) quod nuſquam facta ſit *aloes* mentio, quam demum, Alexandria exſtructa, ſcimus a graecis medicis vocatam in uſum eſſe.

v) Diſſ. *de cauſſis ſterilitatis in ſexu ſequiori ex doctrina* HIPP. *veterumque medicorum*, Hal. 1769. 4. §. 17. p. 22. ſequ.

sae occurrunt, *eiusque species tres* sunt, ῥοὸς λευκὸς, πυῤῥὸς, ἐρυθρὸς. Tandem *columellae* nomine *clitoris mulierum* exprimi multis videtur, at quo iure, non video; *cancrum vteri, si inueterarit, omnes sanationis expertam* esse, *prolapsum vteri tantum non semper ex partus nasci iniuriis* cet.

§. LI.

Περὶ ἀφόρων. *De Sterilibus.*

Ed. *Lind.* p. 615. T. II. Ed. *Froben.* gr. p. 290. cui ad calcem adiic. νόθα, τῇ τελευτῇ τȣ͂ πρώτȣ περὶ γυναικείων βιβλίȣ προσκείμενα. Ed. *Mercurial.* Sect. III. p. 318. Ed. *Foës.* p. 242. Sect. V. Ed. *Chart.* p. 843. T. VII. Vers. *Cornar.* p. 386.

Meminere huius libri *Erotianus* [w]) et *Galenus* [x]) sed nullius momenti est, videturque, iudice *Jo. Alb. Fabricio* [y]), priorum appendix quasi habendus, quippe is, qui hunc conscripsit, illos etiam περὶ γυναικείων sibi deberi profitetur. Quorum librorum auctoritas cum multis de caussis ceciderit, quid tandem huic faciendum existimabimus, qui quicquid boni maliue habet, illis maximam partem in acceptis fert? Neque sane libelli inscriptio respondet argumento, atque rerum praeterea inanium [i]tiliumque multitudine redundat. *Omnes* enim *sterilitatis caussae non, nisi vitiis oris vteri deberi* putantur, *remedia* hic occurrunt *acria, cantharides, aerugo aeris, colocynthis, flores*

w) In Praef. Gloss. p. 33. T. I. ed. *Chart.*
x) In Gloss. voc. ἐκλείδω, ἔκμαγμα, ἐκμάξαι, et in II. Epid. Comm. III. 35. p. 179. T. IX.
y) Bibl. Gr. L. II. 24. p. 801.

flores aeris cet. At vero quid hac ſententia [z]) dignius magno viro, quid medico appoſitius? Πειρῶ δὲ φυσικὸς εἶναι πρὸς τῆς ἀνθρώπου τὴν ἕξιν καὶ τὴν ἰσχὺν ὁρῶν: τούτων γὰρ οὐδεὶς ἀσταθμός ἐστιν, ἀλλ' ἐξ αὐτέων τεκμαιρόμενος πειρῶ ὅλου τοῦ σώματος, κεφαλῆς καθάρσεσι, φαρμακείῃσι καὶ πυρίῃσι τῆς ὑστέρης, καὶ προσθέτοισε χρῆσθαι — ἡ δὲ θεραπείη τουτέων ἐστὶ ἐν μέρει ἑκάστῳ. *Conare autem, vt phyſicus ſis, ad hominis habitum & robur reſpiciens. Ex his enim nullus eſt, qui non ad amuſſim faciat. Proinde ex his ipſis coniecturam faciens totius corporis et capitis purgationibus, medicamentis et vteri fomentis ac appoſititiis vti conare — Medela autem horum vnicuique particularis eſt.*

§. LII.

Περὶ ἐπικυήσιος. *De Superfoetatione.*

Ed. *Lind.* p. 645. T. II. Ed. *Froben.* gr. p. 48. Ed. *Mercurial.* Sect. III. p. 333. Ed. *Foëſ.* p. 41. Sect. III. Ed. *Chart.* p. 860. T. VII. Verſ. *Cornar.* p. 66.

Solet hic liber ſic in omnibus inſcribi editionibus, at mauult *Hier. Mercurialis*, περὶ κυήσιος καὶ ἐπικυήσιος. Neque iniuria. Vtrumque enim hic pertractatur, et cum huius libri apud veteres nulla facta ſit mentio, videtur eſſe longe recentior, atque, aut ab eodem, qui libros περὶ γυναικείων conſcripſerat, auctore profectus, aut ſaltem ad eorum ſimilitudinem expreſſus, etſi *Galenus* [a]), vt ſolet, hos omnes omnino libros HIPPOCRATI magno deberi litteris reliquit conſignatum. Eſt enim ana-

z) §. XVIII. p. 635. T. II. ed. *Lind.*
a) L. De Format. Foetus c. 1. p. 285. T. V. ed. *Chart.*

anatomes ſcientia, quae hic occurrit, non adeo magni momenti, facileque iudicari poteſt, hanc ſcriptionem, etſi nec HIPPOCRATIS gloria digna ſit, tamen perantiquam eſſe, cum ex brutorum animantium ſtructura partiumque poſitu diiudicentur omnia atque duo cornua ad explicandam ſuperfoetationis viam adhibeantur. Continentur vero haec ſcitu digna, *foetus mortuos immiſſo ori digito, extrahendos eſſe; feminam parturientem ſellae, quam λάσανον dicunt, committendam, omnemque hac in re vim et crudelitatem eſſe fugiendam; oris uteri vitia prae primis attendi oportere; cauſasque valitudinis aduerſae iis profligari remediis, quae iis ſolent reſiſtere* cet.

§. LIII.

Περὶ ἐγκατατομῆς ἐμβρύου. *De Exſectione Foetus.*

Ed. *Lind.* p. 662. T. II. Ed. *Froben.* gr. p. 53. Ed. *Mercurial.* Sect. IV. p. 45. Ed. *Foëſ.* p. 193. Sect. VI. Ed. *Chart.* p. 550. T. XII. Verſ. *Cornar.* p. 72.

Libellus hic, cuius nec *Erotianus*, nec *Galenus* meminerunt, perbreuis eſt atque mutilus, neque ſpernendus tamen, ſi iſtorum temporum ſpectes artis obſtetriciae ſcientiam; at vero argumenti orationisque habita ratione, HIPPOCRATIS auctoritate nullo modo dignus. Eſt autem, quod in eo videatur memorandum, cum *foetus, naturae beneficio non naſcendi, ſed fruſtillatim diſſecandi atque extrahendi modum* feliciter explicet; *prima conuerſionis rudimenta* doceat; *partum, ſi purgamenta citius, quam par eſt, profluant, et cum dolore eſſe, et difficilem* cet.

§. LIII.

§. LIV.

Περὶ ἑλκῶν. *De Vlceribus.*

Ed. *Lind.* p. 664. T. II. Ed. *Froben.* gr. p. 512. Ed. *Mercurial.* Sect. I. p. 365. Ed. *Foëſ.* p. 145. Sect. VI. Ed. *Chart.* p. 130. T. XII. Verſ. *Cornar.* p. 658.

Etſi multis abhinc ſeculis hic liber punctum tuliſſe viſus eſt, ab *Erotiano* b) et *Galeno* c) Hippocrateis monimentis adſcitus, *Foëſioque* d) dignus prae ceteris habitus, cui diuini ſenis nomine liceat tuto deliteſcere; tamen non poſſum non, quin ei perſonam detraham, eumque in medicum Cnidium transferam. Opprimaris enim inter legendum medicamentorum abſurdorum et acrium multitudine, quorum vix ac ne vix quidem nomen in integris diuini ſenis monimentis reperire me memini, quale eſt *arſenicum*, *veratrum nigrum*, *cantharides* ſimiliter, vt in περὶ γυναικείων factum erat. Praeceptis tamen non deſtituitur praeclaris et magno viro dignis, nec non *in vlceribus perſanandis* vtiliſſimis, *olea nimiumque madorem* in *vlcerum curatione plus ſaepenumero obeſſe, quam prodeſſe; vlcera impura, quamdiu inflammata ſunt, coaleſcere nec poſſe*

b) In Praef. Gloſſ. p. 33. T. I. ed. *Chart.*

c) In Gloſſ. voc. μέλανι φαρμάκῳ; In VI. Aph. 3. Comm. VI. p. 252. P. II. T. IX. et Method. Medend. IV. 6. p. 98. T. X. ed. *Chart.* Sed liceat hic paucis commemoraſſe, ἕλκος in h. l. et alias vel maxime de *recenti vulnere* eſſe explicandum idque ex more *Homeri*, qui Il. π΄. 29. et innumeris in locis ea orationis forma vſus eſt.

d) In Not. ad h. l. p. 146. Sect. VI.

posse, nec debere; distentiones neruorum plerumque in altera corporis parte nasci, eamque, quam vidimus, a morbo infestatam, esse immunem cet. Similiter commemoranda videtur *plantarum* descriptio, quas παρθένιον μικρόφυλλον et λαγόπυρον appellat.

§. LV.

Περὶ συρίγγων. *De Fistulis.*

Ed. *Lind.* p. 680. T. II. Ed. *Froben.* gr. p. 517. Ed. *Mercurial.* Sect. III. p. 361. Ed. *Foës.* p. 159. Sect. VI. Ed. *Chart.* p. 141. T. XII. Version. *Cornar.* p. 665.

In numero Hippocrateorum librorum eum collocandum censuit *Erotianus* [e]), eoque videtur prae ceteris dignus *Foësio* [f]), cum insit *celebrata illa per linum fistulae ani curatio, quam Isagoges auctor et Paullus* HIPPOCRATI *in primis acceptam ferunt. Celsus quoque, etsi tacito* HIPPOCRATIS *nomine, in vsum transfert, eoque nomine hunc librum quidam de fistulis ani inscripserunt. Eo quoque accedit fidelissimum Erotiani testimonium, qui hunc librum in Hippocraticorum librorum recensione inter* θεραπευτικὰ *accenset.* Sed quicquid sit, auctor huius libri, vt sagaciter *Hallerus* [g]) coniectauit, iisdem, quae libro περὶ νούσων docentur, innititur ratiociniis, *omnesque omnino aduersae valitudinis caussas ex bile pituita-*

e) In Praef. Gloss. p. 33. T. I. ed. *Chart.*

f) In Not. ad h. l. p. 160. Sect. VI.

g) In *Boerh.* Method. Stud. Medic. P. II. p. 176. Sed Princip. Art. Medic. p. 115. T. IV. similitudinem quandam argumenti et orationis cum illis, qui *in morbis mulierum* versantur, intercedere auctor est.

tuitaque cenſet repetendas. Quare aut ab communi viro hi libri profecti videntur, aut ad diſcipulum aliquem, qui his ratiociniorum blanditiis allectus quaſique faſcinatus, mirifice ſibi indulſit, certiſſime referendi. Ad HIPPOCRATEM ſaltem non pertinere nullus dubito, qui, eiurato inepte philoſophandi ſtudio, ſe totum ad naturae contulerat inueſtigationem. Accedit et illud, quod orationis forma ab Hippocratea multum videtur abhorrere, morborum imagines cauſſarumque ſimplex enarratio tantum non ſemper deſiderantur, atque legentium animi medicamentorum multitudine fere opprimuntur, id quod quam longiſſime a diuini ſenis inſtituto et ratione alienum eſt.

Memoratu digniſſima ſunt, *fiſtulas ex contuſionibus aliisque id genus laeſionibus oriri, cum ſanguis, ſuorum vaſorum carceribus liberatus et prope ſedem accumulatus putreſcit, molles partes inflammat, erodit, et ſinus format; abſceſſus ani, quam primum fieri poſſit, aperiendos eſſe, ne in fiſtulas tranſeant; vlcera frequentius eluenda; ad ani prolapſum medicamenta, quae natura ſua adſtringunt, eſſe adhibenda* cet.

§. LVI.

Περὶ ἄρθρων. *De Articulis.*

Ed. *Lind.* p. 756. T. II. Ed. *Froben.* gr. p. 472. Ed. *Mercurial.* Sect. I. p. 285. Ed. *Foëſ.* p. 47. Sect. VI. Ed. *Chart.* p. 287. T. XII. Verſ. *Cornar.* p. 621.

Commemorarunt hunc librum *Erotianus* h),

h) In Praef. Gloſſ. p. 33. T. I. ed. *Chart.* et Gloſſ. voc. ἄλλη κοιλίη, ἀνακώχησις.

Galenus i), *Palladius* k), qui eum olim in duas partes diuisum esse prodidit memoriae, quorum alter erat ille περὶ ἀγμῶν, alter vero περὶ ἄρθρων; a *Galeno* autem in *septem distribui* sic, vt *primus tribus*, posterior vero *quatuor* contineatur, et communi nomine Κατ' ἰητρεῖον comprehendatur. Hinc factum est, vt *Palladio* ἐκ τοῦ κάλλους τῆς φράσεως genuinus videretur; deinde quia in integris HIPPOCRATIS magni monimentis occurreret, omnesque in eo consentirent interpretes. Sed quis ille sit HIPPOCRATES, num *Gnosidici*, *Heraclidae* aut *Draconis* filii, id est, de quo sub iudice lis est, etsi *Palladio* videtur eiusdem, cuius *aphorismi*, *praedictiones*, et liber *de victus ratione* sunt, HIPPOCRATIS esse, in qua sententia etiam fuisse videtur *Hieronymus Mercurialis* kk).

Sed quis est tam stolidus tamque baro, vt eum eodem, quo ceteri id genus libri, vitio laborare non intelligat? Nam etsi magna huius scriptionis sit praestantia, partim quod et orationis concinnitate se commendet, et argumenti dignitate, lectorum animos suauiter afficiat, partim

i) In Gloss. voc. σφενδόνην: L. Placit. *Platon.* et HIPP. IX. 4. p. 255. T. V. ed. *Chart.* L. Difficult. Resp. III. 7. p. 279. T. VII. et in L. περὶ ἄρθρων Comm. I. Praefat. p. 280. T. XII. nec non Comm. IV. 47. p. 457. eum libro περὶ ἀγμῶν adiungendum ait, idque ea lege, vt seorsim quidem inscribi possint, commune vero nomen sit κατ' ἰητρεῖον.

k) Ap. *Foës.* p. 197. Sect. VI. et ed. *Chart.* p. 271. T. XII.

kk) In Censura Opp. HIPP. p. 7.

tim quod vetuſtatis laude exſplendeſcat, cum ex iſtorum ſeculorum more *Homeri* [1]) verſibus:

Ὡς δ' ὁπότ' ἀσπάσιον ἔαρ ἤλυθε βȣσὶν ἕλιξιν.

Haud ſecus ac bobus nigris gratiſſima veris
Tempora proueniunt.

auctoritatem ſibi is, qui librum hunc conſcripſerat, conciliare voluerit; id vnum tamen certo ſcio perſuaſumque mihi habeo, HIPPOCRATEM eum nec eſſe, nec eſſe poſſe. Primum enim hic locorum facta eſt libri περὶ ἀδένων mentio, qui cum indigniſſimus ſit diuini ſenis gloria, quid tandem huic exiſtimabimus faciendum, ad cuius auctoritatem tanquam ad anchoram ſacram, multi confugiunt? Deinde ſcientia et cognitio anatomes Hippocratea tempora cum accuratione, tum argumentorum dignitate longe antecellunt, neque non arteriarum venarumque certa fit ſegregatio. Tandem narratiunculas illas de *Amazonidum*

 natu-

1) §. VI. et VII. p. 763. T. II. ed. *Lind.* At vero hic verſus, qui *Galeno* Comm. I. ad h. l. 27. p. 306. T. XI ed. *Chart.* ne remoram quidem poſuit, cum in verbo σαρκάζειν explicando paene totus eſſet, hodie ſolet in noſtris editionibus deſiderari. De verbis autem paucis videamus, quae eſſe Homerica certum mihi atque perſuaſum eſt. Sic enim Iliad. ό. v. 633. occurrit ἕλικος βοὸς, et iterum Iliad. ί. v. 462. εἰλίποδας ἕλικας βȣ̃ς. Interpretes ἕλικες per ἑλικοειδῆ τὰ κέρατα ἔχοντας, καὶ ἑλικοκεράτȣς explicant, et ap. *Aelian.* Var. Hiſt. IX. 5. p. 177. T. I. ed. *Kretſchm.* occurrunt σκίπωνα χρυσᾶς ἕλικας ἔχοντα περιεργπέσας. Cf. *Phauorin.* Lexic. p. 178.

natura viuendique ratione, quas HIPPOCRATES iam libro περὶ ἀέρων καὶ τόπων verissimas censuerat, in fabularum numero collocauit, nulla istius sententiae, quam alias sibi animo efformarat, facta prorsus mentione. En noua hominis repugnantia, qui cum fallere vellet, minus iuste hanc aliis imponendi artem callere videbatur!

Continentur hac scriptione *vesiculae seminis; arteriarum venarumque conspirationes*; *plurimae chirurgorum operae*, in primis quae in *luxationibus et fracturis* versantur; *ossium natura et coagmentationis modus* naturae legibus accommodatus; Prae ceteris tamen lectu dignae sunt *variae humeri luxationes et viae, quibus in sedem suam compellendus est; naturas alias ab aliis incredibiliter dissentire, adeoque in medicina id in primis obseruandum esse; a glandulis caueri oportere, cum magnum inferre possint periculum; ignem neruis esse insensissimum; musculum quendam ex iugulo prognasci solere*, vnde *Hallerus* m) sibi sumsit demonstrandum, at quo iure, nescio, HIPPOCRATEM magnum *corpora humana dissecuisse.* Sed de his paullo post.

Quae vero aduersus modum, quo ad *luxationes femoris* tollendas vsus erat HIPPOCRATES, monue-

m) In *Boerh.* Praelect. Academ. Proleg. n. 7. p. 24. Vol. I. et maiori cum doctrinae copia in *Progr. quod corpora humana secuerit* HIPPOCRATES Gotting. 1737. Cf. *Traug. Balthas. Christ. Stentzel* Diss. *de* HIPP. *studio anatomico singulari*, Viteb. 1754. Sect. I. p. 13. sequ.

monuerint olim HEROPHILVS atque *Ctesias* n), constare inter omnes arbitror. Ad eorum autem, qui rerum nouitate delectantur, palatum fore puto *varia calceamentorum genera*, αἱ χῖαι κρηπῖδες, quae, *Galeno* o) auctore, HIPPOCRATIS iam tempore in desuetudinem abierant; ἀρβύλαι πηλοπατίδας, quod *cauum calceamenti genus* p) fuit, omnique pedi ad talos vsque artissime sedens; ὁ κρητικὸς τρόπος τῶν ὑποδημάτων, qui qualis fuerit, si cuius intersit perspexisse, *Galenum* q) quaeso, adeat. Συρμαϊσμὸν vero, qui hoc etiam libro legitur, explicatum iterum apud *Galenum* r) et *Io. Langium* s) inueniet.

Ecquid vero felicius in exprimendis medici boni dotibus, ecquid ad rem accommodatius illo t) eloquio: Χρὴ δὲ περὶ πλείστου μὲν ποιέεσθαι ἐν πάσῃ τῇ τέχνῃ, ὅκως ὑγιὲς μὲν ποιήσῃς τὸ νοσέον. εἰ δὲ πολλοῖσι τρόποισιν οἷόν τε εἴη ὑγιέας ποιέειν, τὸν ἀοχλότατον χρὴ αἱρέεσθαι. καὶ γὰρ ἀνδραγαθικώτερον τοῦτο καὶ τεχνικώτερον, ὅστις μὴ ἐπιθυμέει δημοσιδέος κιβδηλίης. *At vero in vniuersa arte hoc plurimi facere prae ceteris oportet, vt id, quod aegrotat, sanum facias. Sin vero multis modis fieri possit sanatio, vt eum,*

n) In L. περὶ ἄρθρων Comm. IV. 48. p. 452. T. XII. ed. *Chart.*
o) In eund. libr. Comm. IV. 11. p. 434. T. XII. ed. *Chart.*
p) *Gal.* l. cit. Text. 12. p. cit.
q) L. cit. Text. 14. p. 435.
r) In h. l. Comm. II. 51. p. 362. T. XII. ed. *Chart.*
s) Epist. Medicinal. L. II. Ep. 48. p. m. 710. sequ.
t) §. 89. p. 844. T. II. ed. *Lind.*

eum, qui minime moleſtus eſt, eligas. Nam et virum bonum et artis peritum hoc declarat, qui populo imponere non ſtudeat.

§. LVII.

De Anatome HIPPOCRATIS, *et corpora humana ſecuerit, nec ne.*

Saepius iam inter medicos diſceptatum fuit, HIPPOCRATES *corpora humana diſſecuerit, nec ne,* et, dici vix poteſt, quanta contentio omnium animos tenuerit. Alii enim, qui praeiudicatae opinionis vanitate abrepti in veterum monimentis verae doctrinae ſapientiaeque ſemina ſparſa eſſe habebant ſibi perſuaſiſſimum, non veriti ſunt, HIPPOCRATEM, tanquam promum condum, venerari, ex quo, quicquid velles, petere liceret, eumque tanta anatomes ſcientia praeditum eſſe exiſtimarunt, nihil vt ſupra dici cogitariue poſſe videatur. Alii vero, quibus antiqua quaevis ſordent, quique in nugis recentiorum hominum inanibus ſane iis haud raro atque friuolis toti ſunt, et veteres omnes riſui exponendos putant, ſibiloque excipiendos, et HIPPOCRATEM prae ceteris, barbatum illum et vaniloquum nugatorem, omni malorum genere afficiendum. Quorum ratio vt ridicula eſt, nec homine docto digna, cui aſſenſum ſuſtinendo nihil temere, nihil imprudenter nec ex partium ſtudio peragendum eſt, ita etiam illorum nec laudanda eſt propenſio, qui, caeco quaſi impetu in antiquos quosque ſcriptores vagantur, eorumque helluones

nes ſunt. Media via, o cara lepidaque capita! incedendum eſt, eaque tutiſſima, quam ſi preſſe ſecuti fueritis, nusquam offendetis, nusquam incurretis.

Nam etſi *Ariſtodemus* apud *Pauſaniam* [u]), cum a quodam homine male feriato filiam vitiaſſe diceretur, eam iugularit, exſciſſoque vtero innocentiam rectique conſcientiam declararit, facileque tunc temporis fieri potuerit, vt Meſſeniorum aliquis naturae ſtudioſior interiores has corporis humani partes ſibi redderet cognitas, quod eius per temporis anguſtias liceret; deinde etſi apud eundem auctorem [v]) aerea hominis tabe confecti occurrat effigies, quae *Apollini* Delphico HIPPOCRATES medicus dedicaſſe putabatur; denique etſi hunc ſceletorum parandorum morem Alexandriae olim obtinuiſſe *Galenus* [w]) memoriae

u) Meſſen. IV. p. 120. gr. et verſ. p. 104. ed. Frf. 1583.

v) Phocic. p. 328. gr. et verſ. p. 278. Videtur hic mos apud veteres obtinuiſſe, quantum ex *Luciani Philo*pſeud. p. m. 483. licuit nobis colligere, vt ſingulis aedibus aeneam HIPPOCRATIS imagunculam colerent, eique valitudinis gratia quotannis offerrent hoſtias. Hinc forte facillimo negotio ille *Pauſaniae* locus luce ſua colluſtrandus eſt et rite explicandus.

w) Adminiſtrat. Anatom. I. 2. p. 27. T. IV. ed. *Chart.* et L. De Oſſib. Praefat. p. 2. T. IV. ſuo tempore id vſu eueniſſe perhibet, vt multi libros, qui in oſſibus verſarentur, περι σκελετȣ et ὀςεολογίας inſcriberent. Huc accedit, quod σκελετὸς, qualis apud Aegyptios conuiuiis inferri mos erat, vt prodiderunt litteris *Herodot.* L. II. p. 60. ed. *Camer. Diodor. Siculus* Biblioth. L. I. *Plutarch.* Sympoſ. — p. 148. et praeſertim L. de Oſirid. et Iſide, non, niſi lignea mortuorum hominum, ſimulacra fuerunt. Hinc

prodidit; multis tamen de cauſſis prohibemur, quin *Hallero* ceterisque huius doctrinae patronis adſentiamus. Neque enim id genus diſſectiónes per leges ſacras ſummamque ſuperſtitionem fieri licebat a graecis hominibus, magnumque ſane incurriſſet periculum, ſi quid tanti facinoris rumore ad plebis aures perueniſſet, ſiue id ab exercitus duce factum fuiſſet, ſiue a priuato quodam homine temerario auſu ſuſceptum; certiſſime enim capite poenas dediſſent, id quod *Atarbae*, cum paſſerem *Aeſculapio* ſacrum ad necem vsque verberaſſet, accidiſſe, nec vllam inſaniae aut impudentiae habitam rationem eſſe *Aelianus* x) auctor eſt. Accedit et illud, quod *Ariſtoteles* xx), quem aetate ſcimus HIPPOCRATE inferiorem aut ſaltem ex parte aequalem, adfirmare non veritus eſt, ſtructuram humani corporis interiorem minus perſpectam eſſe atque cognitam, nec niſi comparandis brutorum animantium cadaueribus probabiliter colligendam. Immo vero *Galenus* y), ipſe haud raro anatomes ſtudioſis ſepulcra et monimen-

Hinc more ſuo *Lucianus* Dial. de Luctu, — hunc ritum acriter perſtrinxit.

x) Var. Hiſt. V. 17. p. 133. T. I. ed. *Kretſchm.*

xx) L. Part. Animal. I. 5. p. 481. T. II. ed. *Du Vall.* extiſpicia humana perhibet eſſe deteſtanda, etſi h. l. multis aliter explicari ſcio. Optime autem omnium et vel maxime cum perſpicuitate haec adfirmauit Hiſt. Animal. I. 16. p. 208. T. II. ed. *Du Vall.* Cf. *Ruffus Epheſius* Appellat. Part. Corp. I. 2. p. 102. Coll. *Steph.* vbi ſe externas corporis partes in ſeruo monſtrare velle auctor eſt, interiores non poſſe.

y) Adminiſtrat. Anatom. I. 2. p. 27. T. IV. ed. *Chart.*

nimenta fluuii impetu diruta, nec non latronum corpora, quae ob ſceleris foeditatem relinquebantur inſepulta, perſpicienda, aut denique ad ſimiarum diſſectionem in tanta humanorum corporum raritate confugiendum eſſe memoriae prodidit. Quod cum *Galeni* aetate haud raro fieret, quid, amabo! in HIPPOCRATE nihil ad caſum fortuitum referre dedignabimur?

At vero HIPPOCRATES ipſe corporis humani exempla protulit in medium, iisque illatas ſibi iniurias, quaſi veram anatomes ſcientiam non, niſi beſtiarum diſſectionibus deberet, exiſtimauit propulſandas. Scio, neque curo, quod HIPPOCRATES, cum ex gente Aſclepiadarum eſſet oriundus, qui, vt *Galenus* [z]) auctor eſt, domi ſermones de diſſecandi ratione atque via haberent, quaedam de oſſium natura edoctus perſpiceret; manca enim illa fuiſſent, nec anatomes nomine digna. Scio praeterea, in Hippocrateis libris multa id genus contineri loca. Sed (fatebor enim) fere in vniuerſum omnia eiusmodi libris accepta ferenda ſunt, quorum auctoritas dubia prae ceteris eſt atque lubrica. Primus eſt, quem adferre huius doctrinae auctores et vindices ex libro περὶ σαρκῶν ἢ ἀρχῶν [a]) ſolent, de *humore cryſtallino cum in hominum, tum brutorum animantium oculis reperiundo* agit. Sed hunc librum vt in ſuppoſitorum numero collocaremus, multae nos cauſſae impu-

z) Adminiſtrat. Anatom. II. 1. p. 46. T. IV. ed. *Chart.*

a) §. XVIII. p. 123. T. I. ed. *Lind.*

impulerunt, quare huius loci etiam cadit aucto-ritas. Deinde libro περὶ καρδίης [b]) *veterem cordis mortui eximendi morem*, (τὴν καρδίην ἀποθανόντος) video commemorari et in argumenti loco poni, HIPPOCRATEM corpora humana dissecuisse. At vero mihi non tanti habendus videtur, quanti multis aliis. Nam similiter aut ex Aegyptio corporum condiendorum more repeti poterit, aut etiam de quouis explicari extispicio. Idque nec iniuria. Huc accedit, quod huic libello, vnde haec omnia hausta sunt, omnes infamiae notae diu sint inustae. Tertio librum περὶ ὀστέων φύσιος [c]) appellant, vbi *ossium naturam ex homine didicisse* auctor perhibetur. At vero hanc scriptionem esse prae ceteris dignam, quae reprobetur ob ratiociniorum multitudinem, quis est, qui non videat? Fac vero, de eius integritate nullo modo dubitari posse, nondum inde conficitur, HIPPOCRATEM magnum humana corpora dissecuisse. Nonne ei chirurgiae studioso licuit obuia maleficorum ossa maiori cum diligentia lustrare, vtilitatisque plurimum exinde capere? Quarto in libris περὶ φλεβῶν [d]) et περὶ ἐπιδημιῶν ϛ΄. [e]) *intestina crassa homini maiora, quam cani a natura data fuisse* dicuntur. At vero hos libros esse suppositos, latere, puto, neminem. Et quid tunc videbitur faciundum, si in quibuscunque

b) §. VIII. p. 292. T. I. ed. *Lind.*

c) §. V. p. 297. T. I. ed. *Lind.*

d) §. VI. p. 297. T. I. ed. *Lind.*

e) Sect. IV. p. 808. T. I. ed. *Lind.*

que fere editionibus, quas adhuc videre licuit, excepta Charteriana, non κυνὸς, ſed κοινῶς occurrat, idque pro ἐπιπολὺ hic explicari et poſſit et debeat? Quinto multi ad Ἐπιδημιῶν έ. f) confugiunt ad demonſtrandum, quanta HIPPOCRATIS fuerit cognitio, ex corporis humani diſſectionibus comparata. Sed hic locus partim libro debetur, quem *Galenus* procul a diuini ſenis auctoritate abeſſe iuſſerat, partim non, niſi chirurgiae gratia nouimus auctorem, quisquis ille ſit, vulneris tentaſſe amplitudinem, maligne ſedem tam alte haerentem obſeruaſſe, vt nullum medicinae locum eſſe facile perſpiceret.

Denique ſuperſunt duo loca ex libro περὶ ἄρθρων g), quorum vtrumque, ſi vel ipſi HIPPOCRATI acceptum ferendum videretur, non, niſi caſu fortuito, nec opinato acciderat. Hinc ex iis omnibus, quae vulgo ab huius doctrinae patronis proferri ſolent, ſatis patere arbitror, HIPPOCRATEM nec corpora humana diſſecuiſſe vnquam, nec ei per gentis ſuae ſuperſtitionem licuiſſe, ſe ad penitiorem machinae noſtrae tam eleganter efformatae, conferre inueſtigationem, niſi in vitae famaeque diſcrimen vellet incurrere. Sed haec de Hippocratea anatomes ſcientia hactenus. Reſtat, vt reliquorum librorum vilitatem explicemus.

f) §. XIII. p. 778. T. I. ed. *Lind.*
g) §. I. p. 756. et §. XIII. p. 769. T. II. ed. *Lind.*

§. LVIII.

§. LVIII.

Μοχλικός. *Vectiarius.*

Ed. *Lind.* p. 851. T. II. Ed. *Froben.* gr. p. 506. Ed. *Chart.* p. 536. T. XII. In vtraque hac editione idem initium est, sed in *Linden.* efficit librum περὶ ὀστέων φύσιος, et post verba: Ἐκ μέσων ἐκπέφυκε καὶ περαίνει, tandem incipit sic: Ῥὶς κατεαγεῖσα, et definit verbis; Ὁμοιότατα ἐκπίπτουσιν: Ed. *Foës.* p. 114. Sect. VI. Sed editiones variae varie se habent, quare haec inter se conferenda a quouis harum rerum cupido videntur.

Meminerunt huius libri *Erotianus* g) atque *Galenus* h), qui eum, partim quod mutilus sit difficilisque ob breuitatem i) explicatu indignum iudicauit HIPPOCRATIS nomine atque gloria, partim vero, vt solet, tanquam compendium k) libri περὶ ἄρθρων habendum esse. Quid? quod *Foësius* l) eum omnium omnino iudicio Hippocraticum esse docuit, *quia Galenus genuinum ac omnibus receptum* HIPPOCRATIS *foetum* μοχλικὸν *palam profitetur. Quod etiam pressa ac breuis scribendi ratio, tum etiam eorum, quae libris de fracturis et articulis continentur, concisa et subtilis comprehensio testatur. Hic enim, quae illis in libris late sparsa diffusiorem cognitionem habent, ad memoriae subsidium in angustos fines, ac veluti pugillares contrahuntur. Ad eam quoque existimationis censuram accedet,* quod

g) In Praefat. Gloss. p. 33. T. I. ed. *Chart.* et Gloss. voc. ἑδραίως.

h) In Praedict. I. Comm. I. 4. p. 699. T. VIII. ed. *Chart.*

i) L. cit.

k) In L. περὶ ἀγμῶν Comm. I. 1. p. 154. T. XII. ed. *Chart.*

l) In Not. ad h. l. p. 116. Sect. VI.

quod praeter earum dictionum explicationem, quae a Galeno et Erotiano ex hoc libello proprie quodammodo petuntur, ipſe quoque Erotianus μοχλικὸν in librorum Hippocraticorum recenſione ἐν τοῖς θεραπευτικοῖς nominatim ſuo loco, hoc eſt, poſt libros de fracturis et articulis, et κατ' ἰητρεῖον ponit.

Praeclara illa quidem ſunt, nec a veritate multum abhorrentia; ſed cum multa, quae ad eius auctoritatem confirmandam congeſſiſſe videtur, infirmant eam potius atque deſtruunt, quam vt eam vendicent, tum libelli praecipue tenuitas et dura verborum compoſitio eo nos impulit, vt crederemus, eum a tyrone quodam medico ad chirurgiae praecepta animo repetenda et ſuo quaeque loco explicanda fuiſſe compoſitum. Quicquid enim boni eo continetur, non, niſi libris περὶ ἀγμῶν, περὶ ἄρθρων et κατ' ἰητρεῖον acceptum ferendum eſt. Deinde deſideres in eo HIPPOCRATIS magni auctoritatem grauitatemque orationis eam, quae χαρακτῆρα eius quaſi efficit. Habet praeterea plurima, quae alias occurrunt, *corii carthaginenſis vſum in naſi fracturis*, ſimiliterque illum *de bobus* apud *Homerum* m) locum:

Καὶ διότι λεπτότατοι βόες τηνικαῦτα,

quem etiam libro περὶ ἄρθρων n) memini me legere. Tandem redundat argumentis abſurdis et

m) §. VII. p. 853. T. II. ed. *Lind.* Hunc etiam verſum ab editionibus *Homeri* exulare cognouimus.

n) §. VI. et VII. p. 763. T. II. ed. *Lind.*

et admirabilibus iisque magni HIPPOCRATIS persona indignissimis. Quid enim magis a diuini senis abhorret grauitate, quam quod *in vlceribus persanandis medicamenta sicca et humida, fulua et nigra, alba* cet. *adhiberi* iubeat?

§. LIX.

Ἱππιατρικά. *Veterinaria.*

Ed. *Lind.* p. 875. T. II. Ceteras enim editiones adferre non placuit, cum aut deficiant, aut saltem incredibiliter dissentiant.

Desideres in hoc libello, cuius apud veteres ne mentio quidem facta est, Hippocrateam grauitatem, qui, quantum scimus, nunquam sui tam immemor fuit, nunquam tam abiectae mentis, vt se brutorum animantium immisceret curationibus. Sed HIPPOCRATIS esse cuiusdam veterinarii, eiusque recentioris, et ob nominis similitudinem integris libris insinuatum non nego. Luxuriat vero haec scriptio ea remediorum absurdorum, immo vero et turpium superstitiosa multitudine, quorum vix ac ne vix quidem nomina reliquis, iisque integris diuini senis libris continentur, ex quo grege sunt *ranae palustres in iecinoris dolore.*

Hinc si varia gummi spectes, quorum hoc in libro vsus commendatur, *σμύρνι, γαλβάνη, κηρὸς ἀμμωνιακὸς, κολοφωνία, ὀποπάναξ, τραγακάνθα, βδέλλιον* cet. videtur nobis HIPPOCRATE longe recentior, adeoque tan-

tanquam hac auctoritate indignus, iure ſuo reprobandus,

Commemorandum id vnum videtur, *ad cancrum debellandum cicutae vſum, adiectis gummi variis,* commendari, *morbum a ſoricis morſu oriundum* deſcribi cet.

§. LX.

Ἐπιστολαί. *Epiſtolarum Collectio.*

Ed. *Lind.* p. 896. T. II. Ed. *Mercurial.* Sect. IV. p. 59. ſequ.

Hanc epiſtolarum collectionem, quam vulgo magni HIPPOCRATIS operibus adiectam eſſe intelleximus, ad diuinum ſenem referri nec debere, nec poſſe, ſed attribui potius alicui ex ſophiſtarum grege oportere, qui ingenio concedebant omnia, veritati nihil, dubium fore, puto, nemini. Deſideres enim in iis Hippocrateam animi modeſtiam, qua is ceteris longe antecelluiſſe cenſendus eſt; porro argumenti veritatem atque grauitatem; denique eam orationis accurationem, qua, ſi fallere velis, temporum ſaltem et probabilitatis habenda eſt ratio, id quod iam ſuo tempore perſpexerunt *Ioſephus Scaliger* o), *Caſaubonus*, *Reineſius*, *Ez. Spanhemius* p), *Menagius*, *Clericus*, aliique praeter hos multi, etſi, vt in tanta

o) Ep. 406. Cf. *Fabric.* B. Gr. II. 10. p. 422.

p) In Not. ad *Ariſtophanis Plutum* v. 638.

ta rerum inconſtantia fieri ſolet, alii aliter ſentiant.

At vero perantiquas eas plurimam partem eſſe, negare equidem non auſim, cùm nec fabula illa de *Democriti* inſania heri et nudius tertius efformata ſit, nec multae epiſtolarum fugerint *Catonem Cenſorium*, quem acerbe atque duriter in graecos medicos perorantem induxit *Plinius* q). *Plutarchi* r) praeterea tempore iam ad HIPPOCRATEM relatae videntur, etſi id genus litteras, magnis viris adſignatas, non dubitat habere pro ſuppoſitis atque ſuſpectis. Sed eamus per ſingulas.

I. Ἐπιβώμιος, Ψήφισμα Ἀθηναίων καὶ Πρεσβευτικὸς Θεσσαλοῦ, Ἱπποκράτους υἱοῦ.

Oratio ad Aram, Decretum Athenienſium, et Theſſali, HIPPOCRATIS *filii, Oratio.*

Ed. *Lind.* p. 935. ſq. T. II. Ed. *Froben.* gr. p. 536. ſequ. Ed. *Mercurial.* Sect. IV. p. 83. Ed. *Foëſ.* p. 24. ſequ. Sect. VIII. Ed. *Chart.* p. 2. T. I. Verſ. *Cornar.* p. 689. ſequ.

Exorditur ab his *Clericus* s), neque, ſi quid video, iniuria. Habent enim, ſi qua alia, et antiquitatis notas, et quandam HIPPOCRATIS aucto-

q) Hiſt. Natural. XXIX. I. p. 252. T. III. ed. Lugd. Bat.

r) In Vita *Lycurgi.*

s) Hiſt. de Medecin. P. I. L. III. 31. p. 232. ſequ. vbi docte et fuſe, vt ſolet, omnia explicuit.

auctoritatem, cum earum *Erotianus* t) meminerit, quasi argumento esse possint, quanta eius et quam praeclara aduersus hominum ciuiumque salutem facinora fuerint. Sed suspicionem nobis et stomachum ea de causa mouent, quod ab eius animi modestia penitus abhorreant, quippe magnus hic vir non ex *Galeni* more laudum suarum praeco esse videtur. Accedit, quod veritati vim et iniuriam hae litterae inferunt, et pestilentiae curationem accensorum rogorum ministerio seni diuino tribuunt, id quod et multi veterum fecerant, *Varro* u), *Plinius* v), *Galenus* w) atque *Aëtius* x).

Negari enim non potest, morem hunc ignis beneficio putrorem aeris auferendi esse perantiquum, idque vel ex eo colligas, quod *Iacches* Aegyptius, cuius aetas longe antecessit Hippocraticam

t) In Praefat. Gloss. p. 33. T. I. ed. *Chart.*
u) De Re Rustic. I. 4.
v) Hist. Nat. VII. 37. p. 443. T. I. ed. Lugd.
w) L. De Theriac. ad *Pison.* c. 16. quem multi ad *Galenum* pertinere audacter negant, nec, vt mihi quidem videtur, iniuria. In primis vero *Gal.* in VI. Epid. Comm. III. Praefat. h. l. — hanc Atheniensium pestilentiam bene descriptam esse prodidit memoriae. Sed vehementer fallitur. Nam vbi L. Symptom. Causs. II. 7. p. 81. T. VII. ed. *Chart.* quosdam, morbo superato, in omnium omnino artium, quas ante coluerant, obliuionem incidisse docuerat, idque, auctore *Thucydide*, praesertim in pestilentia Atheniensi vsu euenisse; ne HIPPOCRATIS quidem in re tam ardua meminit. Cf. L. Different. Causs. L. 6. p. 112. T. VII. ed. *Chart.*
x) Tetrabibl. II. Serm. I. 94. p. 223. Coll. *Steph.*

ticam, hac consuetudine cum apud *Aelianum* [y]), tum apud *Suidam* [z]) vsus fuisse perhibetur. Similiter fecit *Empedocles* apud *Plutarchum* [a]); *Achilles* vero Homericus [b]) sulphuris accensi vapore Ioui dicatum rarique vsus poculum lustrandum esse censuit, et *Vlysses* [c]) redux, procis iugulatis, omnibusque caede ac cruore manantibus, sulphure accenso domum expiauit:

Οἶσε θέειον, γρηῦ, κακῶν ἄκος, οἶσε δέ μοι πῦρ,
Ὄφρα θεειώσω μέγαρον.

Fer sulphur, anus, malorum medelam ferque mihi ignem,
Vt suffiam domum.

Fallitur porro harum scriptionum auctor in eo cum maxime, quod aliter, quam res est, pestilentiam illam, Atheniensibus olim infestam, ex Illyria ortum duxisse censeat, cum, auctore *Thucydide* [d]), Aethiopiae accepta ferenda sit, adeoque

y) Var. Hist. Fragment. sub voc. ἐνάνειν, p. 327. T. I. ed. *Kretschmar*.

z) Sub voc. Ἰάχιμ. — ἱερογραμματᾶς.

a) L. de Curiositat. init. T. II. p. 515. et L. ad *Colotem*. I. ad fin. p. 1126. Clem. Alexandr. VI. p. 454. ed. Lugd. Bat.

b) Il. XVI. v. 228.

c) Odyss. XXII. v. 481.

d) Hist. Bell. Pelopones. II. p. 63. gr. et vers. p. 44. ed. *Henr. Steph.* 1564. Repugnantia etiam magna exinde nascitur, quod *Thessali* oratio nouem annos post recitata dicitur, et

que temporum ordo tollatur necesse sit, si tunc temporis tanta tamque praeclara fuissent HIPPOCRATIS facinora. HIPPOCRATES enim, quantum ex *Sorano* e) intelleximus, olympiadis LXXX. anno I. natus est, eumque olympiade LXXXVI. demum vixisse auctor est *Eusebius* f), qui qua ratione inter se conferendi sint, alii videant. Pestilentiae vero ortus in olymp. LXXXVII. incidit, annumque belli Peloponnesiaci secundum, proindeque, vt recte monuit *Io. Henr. Schulzius* g), cum eo tempore paucis annis ante natus esset HIPPOCRATES, neque filios medicinae exercendae idoneos habuisse videtur, nec tantam nominis gloriam consecutus, vt omnibus reliquis palmam praeripere putaretur. Tandem itineris Scythici mentionem fecit HIPPOCRATES, quid, amabo, facturum fuisse existimabimus, si Graeciae vniuersae, in primisque Atheniensium reipublicae in re tam pestilentiali atque exitiosa vtilitati fuisset? Adeone *Thucydidem* magni huius viri nomen et bene facta latuisse, vt eius in describenda pestilentiae huius immanitate ne meminerit quidem, vt potius omnem medicorum artem

 mali

et tamen eius non, nisi recentiores scriptores meminerunt.

e) In Vita HIPP. ad calc. *opp.* T. II. ed. *Lind.*

f) Chronic. Can. p. 170. ed. *Scalig.* cf. *Plin.* Hist. Nat. XXIX. 1.

g) Hist. Medecin. Per. I. Sect. III. c. 1. §. 13. et Compend. Hist. Medecin. L. II. 1. §. 243. p. 119. Cf. *Clerc.* Medecine P. I. L. III. 31. p. 233. sequ.

mali magnitudine elusam fuisse perhibeat? Ὄυτε γὰρ ἰατροὶ, inquit [h]), ἤρκουν τὸ πρῶτον θεραπεύοντες ἀγνοίᾳ (ἀλλ᾽ αὐτοὶ μάλιστα ἔθνησκον, ὅσῳ καὶ μάλιστα προσῄεσαν,) οὔτε ἄλλη ἀνθρωπεία τέχνη οὐδεμία. Ὅσα τε πρὸς ἱεροῖς ἱκέτευσαν, ἢ μαντείοις, καὶ τοῖς τοιούτοις ἐχρήσαντο, πάντα ἀνωφελῆ ἦν. Τελευτῶντές τε αὐτῶν ἀπέστησαν ὑπὸ τοῦ κακοῦ νικώμενοι. *Nec enim medici propter morbi ignorantiam initio aegris mederi poterant, sed ipsi potissimum eo magis interibant, quo magis ad aegrotos accedebant, nec vlla alia hominum ars illis opem ac salutem ferre poterat. Omnes etiam supplicationes ad deorum templa facta et omnis opera, qua aut in oraculis sciscitandis aut in aliis huiusmodi rebus vsi fuerant, haec omnia nullius vsus erant, tandemque victi magnitudine mali haec missa fecerunt.* Nonne denique rectius hanc rogorum accensorum gloriam, vt *Plutarchus* [i]) et *Paullus* [k]) memoriae prodiderunt, aut *Acroni*, empiricae sectae conditori, attribuamus necesse est, cum hac in re vel inuiti consentire videantur *Aëtius* [l]) et *Oribasius* [m]), aut potius, auctore *Luciano* [n]), *Toxari* Scythae beneficium abactae huius pestilentiae acceptum ferendum est, qui cum per quietem

h) L. cit. c. 47.
i) L. de *Iside* et *Osiride*, ad fin. T. II. p. 383.
k) L. II. 35. p. 44. ed. Basil. gr. 1538. et Vers. Basil. p. 84. ed. 1532.
l) L. cit. et ἑξ — p. 91. ed. graec.
m) Morbor. Curat. ad *Eunap.* III. 1. p. 619.
n) In Πρόξενος.

tem *Architelis* vxori viſus eſſet; quid hac in re tam exitioſa et pernicie capitali faciundum eſſet, et quanti vſus habenda rogorum accenſorum luſtratio, non potuit non eam reddere certiorem? Id quod ne vanum fuiſſe diceretur, factum eſt, vt beneficii magnitudine perculſi Athenienſes *Toxari* non tantum ſacrificium ordinarent annuum, ſed etiam columnae miniſterio, cui inſcriptum erat: Ξένῳ ἰατρῷ! heroum in ſimilitudinem nominis memoriam poſteritati tradere voluerunt?

II. *Epiſtolae, quae de* HIPPOCRATIS *ad Perſas itinere agunt.*

Ed. *Lind.* p. 896. ſequ. T. II. Ed. *Foëſ.* p. 3. ſequ. Sect. VIII. Ed. *Froben.* gr. p. 522. ſequ. Ed. *Mercurial.* Sect. IV. p. 59. Ed. *Chart.* p. 9. ſequ. T. I. Verſ. *Cornar.* p. 671.

Sunt eiusdem, cuius ceterae omnes, futilitatis. Nimius enim auctor eſt in laudibus ſuis enarrandis, praetereaque et illud accedit, quod partim a Cois, quos pridem valere iuſſerat in Theſſaliam commigraturus, mittendus poſtulatur, partim quod rei tantae ne meminit quidem quisquam veterum, neque *Theſſalus*, niſi obiter. Ex quo conficitur, hoc certe beneficium, cum tam praeclarum in Athenienſes eſſet, ſi vnquam a veritatis legibus propius afuiſſet, merito commemorari et potuiſſe et debuiſſe. Quod cum non factum ſit, nonne illae epiſtolae cenſendae ſunt inſcio eo tempore nondum

dum conſcriptae, adeoque pro commentis habendae?

III. *Epiſtolae, quibus et Abderitarum ad* HIPPOCRATEM *legatio deſcribitur, et Democriti inſania viuis adumbratur coloribus.*

Ed. *Lind.* p. 901. ſequ. T. II. Ed. *Froben.* gr. p. 524. ſequ. Ed. *Mercurial.* Sect. IV. p. 60. ſequ. Ed. *Foëſ.* p. 5. ſequ. Sect. VIII. Ed. *Chart.* p. 12. ſequ. T. I. Verſ. *Cornar.* p. 673. ſeq.

Res illa vt perridicula eſt, nec ab HIPPOCRATE et qui eum proxime ſequebantur, vnquam vere commemorata, ſic hominis recentioris ingenio deberi videtur, quicquid litterarum ea in re verſatur. Qui cum Abderitarum ſtultitiam ab optimo quoque rideri exagitarique cerneret, non inepte ſe facturum exiſtimauit, ſi, adſumto nobili HIPPOCRATIS nomine, ad eius ſe ſimilitudinem componeret, et quaedam ex libro περὶ ἱερῆς νȣ́σȣ admiſceret, id quod pluribus illorum temporum impoſtoribus vſu eueniſſe intelleximus, ſibique ſi qua re alia, hac certe fidem omnem derogaſſe.

Ecquis enim tam demens atque baro eſt, vt oppiduli incolas X. talentis Hippocrateum beneficium remuneratos et eſſe, et potuiſſe ſibi perſuadeat? Scimus enim, quicquid de *Philippi*, Macedonum regis, liberalitate glorietur *Aelianus* o), atque

o) Var. Hiſt. IV. 19. p. 118. T. I. ed. *Kretſchm.*

atque de octingentis talentis *Aristoteli* ad conscribendam animalium historiam datis *Athenaeus* p) blateret, nihilo tamen secius, quantum ex *Plutarcho* licuit alicubi perspicere, omne militare aerarium vix LXX talenta tunc temporis aequasse, reliqua vero mutua fuisse sumta. Quod si verum est, vt est, multo minus tanta numorum vis in misellos sane Abderitanos cadere posse censenda est. Quid denique HIPPOCRATIS magni grauitate indignius, quam graeculi more sententiolis festiuis, tanquam stellulis, orationem interstinguere? *Vtinam*, inquit q), *in auaritia persananda, qua nihil foedius, nihil intolerabilius, omnes omnino medici vnice versarentur! Misera enim vita humana est, cum in tempestatis hibernae similitudinem auaritiae procellis huc illuc feratur et tantum non rapiatur.*

Ἀνάληψις τῆς ῥάβδȣ vero quid sit, cuius HIPPOCRATES r) aut auctor potius litterarum illarum meminisse videtur, adhuc sub iudice lis est. Propius saltem a veritate afuisse putandus est *Io. Henr. Schulzius* s), cui videbatur *dies festus* esse *annuus*, cum summus *Aesculapii* pontifex dignitatem deponeret, aliusque, prout ordo ferebat, in eius locum surrogaretur, idque

p) Deipnos. IX. 13. p. 398. ed. *Casaub.*
q) Ep. HIPP. ad *Abderit.* p. 905. T. II. ed. *Lind.*
r) Ep. cit. p. 904.
s) Compend. Hist. Medic. L. I. c. VIII. §. 133. p. 50. et Hist. Medic. Per. I. Sect. II. c. 4. §. 26. p. 137.

que in *Aesculapii* memoriam baculi beneficio et ſigno, cui anguis aut draco erat circumdatus. Neque repugnat haec explicatio graecae linguae conſuetudini, cuius eſt *ἀναλαμβάνειν σκήπτρον*, i. e. *imperium capeſſere*, quam, ſi aliorum auctorum locis confirmare vellem, magna ſane caterua ſuppeteret.

IV. *Epiſtolae ad* PHILOPOEMENA.

Ed. *Lind.* p. 906. ſequ. T. II. Ed. *Froben.* gr. p. 525. ſequ. Ed. *Mercurial.* Sect. IV. p. 64. Ed. *Foëſ.* p. 7. ſequ. Sect. VIII. Ed. *Chart.* p. 14. ſequ. T. I. Verſ. *Cornar.* p. 675. ſequ.

Praeter itineris narrationem Abderitarumque mores haud ita multa ineſſe videntur egregia, adeoque Hippocratea gloria et nomine vel maxime indignae hae epiſtolae. Quae vero ad *viſum* pertinent, quod ei per quietem accidiſſe perhibetur, dici vix poteſt, quam preſſe ad illam *Procli* apud *Xenophontem* [t]) ſimilitudinem efformata ſit, vt, mutatis nominibus, eandem audire fabulam videaris, earumque mulierum altera, quae *veritatis* ſpecie obuerſabatur oculis, ad amuſſim illam *caſtitatis* Xenophonteam imaginem exprimeret, altera et immodeſtior et effrenior, ita etiam *voluptatis deae* ſimilior *opinio*. De *origine inſaniae* quae ibi proferuntur in medium, non contemnenda ſaltem videntur.

V. Epi-

t) Memorabil. *Socratis* II. 1. p. 63. ſequ. ed. *Erneſt.*

V. *Epistola ad* DIONYSIVM.

Ed. *Lind.* p. 910. T. II. Ed. *Froben.* gr. p. 526. Ed. *Mercurial.* Sect. IV. p. 65. Ed. *Foës.* p. 8. Sect. VIII. Ed. *Chart.* p. 14. T. I. Verſ. *Cornar.* p. 675.

Referendae hae litterae in earum ſunt numerum, quae nec Graeciae inſtituta curant, cum illarum auctor, quisquis demum ille ſit, vxoris curam et conſuetudinem, patre ſuperſtite, alieno viro committendam eſſe putet, nec HIPPOCRATIS magni grauitatem verentur, cum hic ſententiolarum ſuauitati, mirum, quantum datum ſit. Adeone HIPPOCRATEM lepidum atque feſtiuum, vt in arborum ſimilitudinem voluptatem illecebras reſecari velit?

VI. *Epistolae ad* DAMAGETVM.

Ed. *Lind.* p. 911. ſequ. T. II. Ed. *Froben.* gr. p. 526. ſequ. Ed. *Mercurial.* Sect. IV. p. 66. ſequ. Ed. *Foës.* p. 9. ſequ. Sect. VIII. Ed. *Chart.* p. 16. ſequ. T. I. Verſ. *Cornar.* p. 676. ſequ.

Vanae ſunt et ſuperfluae itineris ad *Democritum* repetitiones, et ſine dubio ab homine quodam, vt rumore narratiunculas id genus lepidas acceperat, ita etiam raptim et oſcitanter conſcriptae videntur. Deſideres enim HIPPOCRATIS grauitatem, argumenti dignitatem accurationemque orationis.

VII. *Epistola ad* CRATEVAM.

Ed. *Lind.* p. 928. T. II. Ed. *Froben.* gr. p. 527. Ed. *Mercurial.* Sect. IV. p. 68. Ed. *Foës.* p. 10. Sect. VIII. Ed. *Chart.* p. 16. T. I. Verſ. *Cornar.* p. 677.

In demonſtranda harum litterarum vanitate non eſt, quod multus ſim. *Crateuam* enim ῥιζο-

τόμον,

τόμον, cuius et *Dioſcorides* u) et *Galenus* v) magna cum laude meminerunt, *Mithridatis* demum et *Pompeii* temporibus vixiſſe conſtat inter omnes. Et quam indignum eſt HIPPOCRATE, *omnes omnino herbas, quaecunque tandem ſint, lectas ſeruatasque eum voluiſſe, nulla ordinis viriumque habita ratione!* Quam aliena iſta de *funditus exſtirpanda auaritiae radice* ſententia eſt ab HIPPOCRATIS grauitate, cuius proprium quaſi et familiare eſt βραχυλογεῖν! Ex his facile colligi poſſe cenſeo, has litteras in ſuppoſitarum numero eſſe collocandas.

VIII. *Epiſtola ad* THESSALVM *filium.*

Ed. *Lind.* p. 934. T. II. Ed. *Froben.* gr. p. 535. Ed. *Mercurial.* Sect. IV. p. 79. Ed. *Foëſ.* p. 21. Sect. VIII. Ed. *Chart.* p. 28. T. I. Verſ. *Cornar.* p. 687.

Suppoſitas has eſſe litteras, vt mihi perſuadeam, hiſce de cauſis adducor, quod HIPPOCRATES, quem *primum medicinam a ſapientiae ſtudio ſegregaſſe Celſus* w) ait, filium ad percolendam *grometriae numerorumque* ſcientiam commonefaciat, idque ita, vt *alterum magnae in oſſium negotio rite obeundo vtilitati ſit, alterum vero in explicandis febrium circuitibus*, id quod *Pythagorae* doctrinam ſapit, a qua tam alienus fuit HIPPOCRATES, vt *Heracliti* potius et *Democriti* adſecla eſſe videatur.

§. LXI.

Concluſio Operis.

Peractis igitur iis, quae de *librorum Hippocraticorum auctoritate atque vi* in medium proferenda du-

u) Mater. Medic. L. I. Praefat. p. 1. ed. Pariſ. 1549.
v) L. Simpl. Medic. Facult. VI. Praef. p. 144. T. XIII. ed. *Chart.*
w) De Medicina L. I. Praefat. p. 3. ed. *Krauſ.*

duximus, facile confici hinc poſſe exiſtimo, perperam ſane facere, id quod et ipſi nuper [x]) feciſſe videmur temporis praecluſi anguſtiis, qui quicquid HIPPOCRATIS magni nomine circumferri acceperint, verum et integrum eſſe arbitrantur, nec exemplorum praeſtantia ab iſta ſe opinionum vanitate aut deterreri patiuntur, aut perſuaſionum lenociniis, auocari, idque, auctore *Horatio* [y]),

Vel quia turpe putant parere minoribus, et quae
Imberbi didicere, ſenes perdenda fateri,

vel quia magni viri perſona videtur indigniſſimum, ad vmbratilem illam nugarum ineptiarumque humilitatem deſcendere. Sed, bone deus! quantae difficultatum cohorti implicantur, quantae repugnantiarum, niſi ſe transfugarum more ad eorum partes conferant, qui *Hippocrateos libros veros a falſis, integros a ſuppoſitis* ſtudia deditaque opera ſegregandos cenſent. Nam non poteſt non a ſe ipſo diſſentire HIPPOCRATES, ſi omnia omnino haec monimenta putes veriſſima, cum a multis, iisque longe diuerſiſſimis auctoribus profecta et ſint et videantur.

Cui rei tam arduae tamque praeclarae ſi quid lucis opera noſtra fuerit affuſum, nec omni virorum doctorum deſtituamur approbatione in his Hippocrateis ordinandis collocandisque libris; ſpero, fore, vt, in quo litterarum graecarum veterisque medicinae ſtudio ſumus adhuc laxamenti gratia verſati, in eo certe longius progrediamur, at-

que

x) Diſſert. Inaug. cit.
y) L. II. Ep. I. v. 84.

que tandem *veterum medicorum fragmenta collecta, illustrata, emendata*, in vulgus demus. Sin vero aliter, coepti saltem laboris nostri nec poenitebit vnquam, neque pigebit, cum humaniorum litterarum studiis a teneris, quod aiunt, vnguiculis ducamur et tantum non rapiamur, nec si quis nobis bellum inferat Hippocraticorum librorum auctoritatem propugnaturus, arma capere animus est. Non enim

Bella geri placuit nullos habitura triumphos,

omnesque eos, quibus fortasse ob animi candorem dignus videar odio, rogatos velim meminerint, illius apud *Euripidem* z):

Ἀνδρὸς ȣ̓ κακȣ̃ τρόποι
Τοιοίδε, χρῆσθαι τοῖσι βελτίςοις ἀεὶ.

Boni viri mos est
Ille, semper optima sententia uti.

z) Iphigen. in Aulide v. 502. P. II. p. 94. ed. *Paull. Steph.* 1602.



NOMENCLATVRA
RERVM ATQVE VERBORVM
IN
CENSVRA LIBROR. HIPPOCRAT.
OCCVRRENTIVM.

A.

B.

C.

O Cha-

I. Iac-



VITIA
OPERARVM.

Cap. I. §. I. not. a. l. 9. p. 2. ἀήθη, leg. ἀίδη.
— Sect. I. §. II. p. 3. l. 2. *tum*, leg. *tam.*
— — — p. 5. not. k. *Oribos.* leg. *Oribas.*
— — §. III. p. 6. not. o. ἀπεβράσσατο, leg. ἀπεβράσσετο.
— Sect. II. §. VI. p. 13. l. 9 χωδὸν, leg. σχεδὸν.
— — §. XII. p. 20. not. c. l. 7. *Citticus*, leg. *Cittieus*; *Apelonius*, leg. *Apollonius*, atq. p. 21. ead. not. l. 4. *Sorando*, leg. *Soranus.*
— Sect. III. §. XIV. p. 24. l. 17. *praenarrato*, leg. *praenarraro.*
Cap. II. §. IV. p. 44. not. mm. *Faës.* leg. *Foës.* et p. 45. l. 12. *Ad.* leg. *at.* et p. cit. not. o. l. 3. ἤτοιγα, leg. ἤτοιγε.
— §. V. p. 50. l. 21. *iusserit*, leg. *iussit.* et p. 51. not. h. *f.* leg. *cf.*
— §. VI. p. 52. not. l. *indication.* leg. *Iudication.*
— §. VII. p. 58. l. 3. τητεῖν, leg. ζητεῖν.
— §. IX. p. 62. l. 21. *eo*, leg. *ea*; et p. 63. not. a. *quod*, leg. *quos*; denique p. 64. l. 3. *monendo*, leg. *mouendo.*
— §. XI. p. 70. l. 18. del. *non.*
— §. XII. p. 71. l. 5. *V.* leg. *T.*
Cap. III. §. XII. p. 94. l. 12. post, *magni*, adde, *auctoritate.*
— §. XIII. p. 95. l. 6. post, *p. 241*, adde, *T. I.* et l. 24. *dissentio*. leg. *dissensio*; p. 96. not. o. post. *p. 306.* adde, *T. VI.* denique p. 97. not. r. l. 4. ἀθρώπων, leg. ἀνθρώπων.
— §. XV. p. 102. post, *De Structura Hom.* leg. *ad Perdiccam*, *Macedonum Regem.*
— §. XXII. p. 115. l. 23. *de*, leg. *in*; et p. 116. l. 1. *quaedum*, leg. *quaedam.*
— §. XXVIII. p. 124. l. 7. *facili*, leg. *facile.*
— §. XXXI. p. 128. l. 16. *Philotino*, leg. *Philotimo*; et p. 130. l. 18. et 23. ἔκτροσιν, leg. ἔκτρωσιν.
— §. XXXVI. p. 137. not. h. *Boerh.* leg. *Bach.*
— §. XXXVII. p. 139. l. 17. *alterm*, leg. *alterum*; et l. 21. del. *esse.*
— §. XXXIX. p. 141. l. 22. *Euelpis*, leg. *Euelpides.*
— §. XL. p. 142. l. 3. post, *sane*, adde, *non*; et l. 6. post, *grauitatem*, adde, *dilucidandam.*

Cap.

Cap. III. §. XLI. p. 156. l. 8. ἀνάντη, leg. ἀυάντη.
— §. XLII. p. 159. l. 22. poſt, *accidat*, adde, ;.
— §. XLIV. p. 162. not. z. *Prognott.* leg. *Prognoſt.*
— §. XLV. p. 165. l. 20. *aqua mulſa*, leg. *aquam mulſam.*
— §. XLVIII. p. 170. l. 10. *videat*, leg. *rideat.*
— §. XLIX. p. 171. l. 9. *et*, leg. *at.*
— §. L. p. 172. l. 9. γυραιτέρησι, leg. γεραιτέρησι, et p. 174. l. 5. *omnes*, leg. *omnis*, *expertam*, leg. *expertem.*
— §. LVII. p. 185. l. 11. *quod*, leg. *quoad*; et p. 186. l. 13. *impudentiae*, leg. *imprudentiae*; at p. 187. l. 24. poſt, *ſolent*, adde *et*; denique p. 189. l. 11. *maligne*, leg. *malique.*
— §. LIX. p. 192. l. 16. σμύρνι, leg. σμύρνη.
— §. LX. p. 197. not. g. l. 2. poſt, *Clerc*, add. *Hiſt. de*, et p. 198. l. 3. ἔδνησκον, leg. ἔθνησκον: Porro p. 199. l. vlt. del. *inſcio*, et p. 202. l. 24. *et*, leg. *vt*: Tandem p. 204. l. 20. *grometriae*, leg. *geometriae*, et p. 203. l. 9. *voluptatem*, leg. *voluptatum.*
— §. LXI. p. 205. l. 17. *ſtudia*, leg. *ſtudio.*

Quae operarum vitia vt ſibi lectores ſumant ſuo quaeque loco emendanda, etiam atque etiam rogo.